The date shows when this volume was taken.

All books not in use for instruction or research are limited to four weeks to all borrowers.

Periodicals of a general character should be returned as soon as possible ; when needed beyond two weeks a special request should be made.

Limited borrowers are allowed five volumes for two weeks, with renewal privileges, when a book is not needed by others.

Books not needed during recess periods should be returned to the library, or arrangements made for their return during borrower's absence, if wanted.

Books needed by more than one person are placed on the reserve list.

c L. B. 29738

1

DE SAGARVM NATURA ET POTESTATE, DEq; HIS RECTE COGNOSCENDIS ET PVNIENDIS

Physiologia

GULIELMI ADOLPHI SCRIbonii Marpurgensis.

VBI DE PVRGATIONE EARVM per aquam frigidam.

CONTRA JOANNEM EVVIchium in Republica Bremensi, & Her. Neuvvaldum in Academia Helmstatiensi Doctores Medicos & Professores.

Universis non tantùm Theologiæ, Jurisprudentiæ, & inprimis Philosophiæ Physicæ studiosis, sed etiam cunctis ad Rerumpublicarum gubernacula sedentibus, scitu utilis & summoperè necessaria.

Marpurgi, typis Pauli Egenolphi. 1588.

9

W
5/1/03

A. 174045

Eq

NOBILISSIMIS, PRUDENTISSIMIS, ET OMNI VIRTVTVM DOCTRINARVMQVE GENERE excellentiſsimis viris, DN. Conſulibus, Conſularibus, & Præfectis Reipublicæ Oſnabürgenſis, Dominis ſuis & fautoribus optimis.

DEUS Jehouah, Rex Zebaoth & dux exercituũ fortiſſimus, in principio creationis res univerſas condidit, & fecit eas eſſe bonas, ut nihil uſpiã eſſet mali: referente Moyſe hiſtorico fide digniſſimo. Quoniã ſcilicet ipſe Deus ſummè bonus erat, ut Hermes Triſmegiſt⁹ olim ſacris literis congruenter divino quodam afflatu locutus eſt, Deus, inquiens, unicus ipſum bonũ eſt, nec aliud quic-

In Pimãdro dial. 2. & 6.

quam præter bonum, & Plato ſimiliter
In Tim. philoſophatus eſt. Ex cūctis autem Dei creaturis unus Satanas, qui & ipſe Angelus lucis & ſpiritus bonus conditus erat, protinus in ipſo momento creationis ſuperbior deteriorque factus à Deo creatore defecit proprium regnum occupaturus: ideoq; fulguris inſtar de cœlo cadens in infimam profunditatem
Luc. 10. Abyſſi protruſus eſt, ut nunquam inde ad priſtinam dignitatis ſuæ gloriā atq; ſedem redire poſſit, ſed in tenebricoſiſſimo carcere, eoq; tamē ampliſſimo la-
Apoc. 20. tiſſimoq; ferreis catenis alligatus omnibus diris cruciatibus in æternum ſubjectus ſit. Hanc igitur pœnam ægerrimè ferens, & primis hominibus adhuc in amœniſſimo Paradyſi horto cū omni gloria & honore ſplendidiſſimè lautiſſimeq; viventibus ſuam felicitatem invidens, Evæ cunctorum mortalium genitrici, & per hanc Adamo ejus marito perſuaſit, ut de arbore cognitionis bonorum atq; malorum vetita comedentes, Dei conditoris ſui præcepta transgrede-

grederẽtur, eumq; multis modis offenderent. Iratus autem Deus è Paradyſo illos per Angelum expulit, ut in regionibus habitarent, & campis, ubi tribuli tãtùm & ſpinæ creſcerent: ubi in ſudore vultus pane quotidiano veſcerentur: Per lapſum porrò hunc Adami, omnes quoq; poſteri deinceps, per continuam generationis ſucceſſionem mali facti ſunt: adeoq; tota generis humani natura multis modis depravata eſt. Omnis itaq; qui naſcitur homo, peccator eſt, & ob peccata ſua infinitis morborum generibus obnoxius: ut olim etiam intellexit celebratiſſimus Ethnicorũ in Co Inſula Medicus Hippocrates: Totus, inquiens, homo à nativitate morbus eſt. Ex maternis enim uteri inquinamentis talis prodijt. Unde autem materna iſta inquinamenta, niſi à peccatis? Omnis enim morbus, & mors ipſa, ut Apoſtolus inquit, ſtipendium eſt peccati. In regno proinde Satanæ & malorũ hominum virtutibus expulſis, vitia quælibet dominantur: adulteria, ſtupra, homici-

dia, parricidia, ſacrilegia, divinorũ contemptus, jugulationes, everſiones urbium, peſtes hominum, & reliqua omnia quæcunq; malorum ſunt opera dæmonum: ut hæc recenſet Triſmegiſtus in Pimandro. Omnis improbitas hîc habitat, & quicquid à DEO prohibitum eſt, regni illius incolis perplacet: & viciſſim quicquid Deo gratum eſt, hoc illis diſplicet. Ubi enim juſtitia? ubi temperantia? ubi fides? ubi charitas? ubi dilectio proximorum? Exceſſit, evaſit, erupit. Et certè ampliſſimum, proh dolor, hoc Satanæ imperium eſt. Si verò omnes malorum & peccãtium hominum ordines quaſi ex altiſſima ſpecula, vel lynceis oculis intuebimur, nulli unquã in toto mundo reperientur Sagis ſive veneficis deteriores: Nulli Satanæ proximiores. Genus ſcilicet hoc eſt cũ Deo tum bonis univerſis inviſum. Alii enim naturali quadam inclinatione, & ingenita pravitate, mali ſunt. At in Sagis præter naturalem ejuſmodi, ab origine, omnium viventium communem malitiam,

litiam, ſpontanea quoque & voluntaria labes peccatorum accedit. Hæ ſiquidem ſcientes atque volentes ſe Satanæ dedunt, devovent, ac totas poteſtati illius tradunt, corporis etiam ſui ſanguine conſcripta & data obligatione, ut deinceps copioſiſſimè in lib. noſtro de Sagis videre erit. Quamobrem etiam juſtiſſimo Dei altiſſimi judicio morti addictæ, à pio Magiſtratu meritò de vita tolluntur. Et nemo ferè ſanæ mentis eſt, qui non puniẽdas eas eſſe exiſtimet. At verò, cũ quot capita, tot quoq; ſententię ſint hominum: tum de ſignis Sagarum, quibus explorentur, variæ & diſcrepantes ſunt variorum judicum opiniones. Si enim judicandùm eſt, quomodo cognoſcendæ comprehendendæq; ſint Sagæ, diverſimodè aliis aliter ſtatuentibus, de hoc controvertitur. Inter alia autem ſigna, tum alibi, tum in hiſce noſtris regionibus, præſertim verò in Weſtphalia, adhibetur potiſſimùm & uſurpatur purgatio, quæ dicitur, per aquam frigidam, quando in aquas injiciun-

ciuntur, ut videantur utrum ſubmerſuræ ſint, nec ne. Iſtæ enim, quæ aquis innatantes non ſubmergũtur, criminum quorum arguuntur, reæ: quæ verò ſubſidunt, inſontes judicari pronunciariq; ſolent: quemadmodum & vos, viri nobiliſſimi prudentiſſimique, nõ ſine gravibus de cauſis hanc inquiſitionis rationem in veſtra Republica uſurpaſtis. De hac igitur cũ data mihi legitima occaſione ante annos fermè quatuor Lemgoviæ aliquid ſcripſiſſem, de cauſis videlicet ejus Philoſophico more inquiſiturus: reperti deinceps fuerunt, qui ſcriptis iſtis meis ſeſe opponere auderent. Anno enim pòſt ſcilicet quàm Epiſtola mea edita eſſet, à Typographo Lemgovienſi, Chunrado Grothenio, viro optimo, mihi mittitur Doctoris Joannis Evvichii, Medici in Republica Bremenſi, & Profeſſoris ordinarii Tractatus de Sagis, in tres partes diviſus. Et longo poſtea temporis intervallo adfertur mihi quoq; Hermanni Neuvvaldi Helmſtatienſis Profeſſoris libellus, hoc titulo:

titulo: Exegeſis examinis Sagarum, ubi Guilielmi Scribonij opiniones refutãtur. Evvichius autem de Sagis earumq; effectis & pœna generaliter diſſeruit: contra me verò de forma illarũ adeoq; de purgatione, cujus mentionem feci, diſputans nihil niſi meras calumnias, ut in libris hiſce meis apertiſſimè demonſtrabitur, protulit. Neuvvaldus ſpecialiter de earundem in aquas injectione tractaturus, de variis ſimul aliis aliarum rerum inquirendarum ſignis atque indiciis ſcripſit. Uterq; in ſuo ſcripto vos viri nobiliſſimi ac prudentiſſimi, & juxtà, Senatum Lemgovienſem laudatiſſimum Iniquitatis ac injuſtitiæ, haud veritus fuit arguere: clamitans vos omnes contra conſcientiam, & leges tùm divinas, tùm humanas, Sagarum cauſſas egiſſe: præſertim verò quantum ad antedictam purgationem attinet, iniquiſſimè judicaſſe. Ego itaque hanc injuriam ægrè ferens, libellos ipſorum diligentius perluſtrando & evolvendo tãdem cognovi, quàm imperitè, ne di-

cam iniquè & depravatè, ſententiam Epiſtolæ meæ minimè intellectam interpretati fuiſſent. Omnibus enim probè conſideratis deprehendi, ea quæ ab iis tractarentur, ut ingenuè quod ſentio dicam, ἀλόγως & contra veram rationem dicta ſcriptaq; eſſe. Leviora igitur, adeoque indigna judicabam, quibus prolixè refutandis me opponendo fatigarem: neque ullam ulterius contra eos, quantumvis à plurimis hoc nomine ſolicitatus diſputationem, & quidem pacis ac tranquillitatis colendæ gratia, movere cogitabam. Sunt enim, & verè ſunt illa publicis Academiarum Doctoribus indigniſſima. Atqui cum elapſo proximè biennio, etiam apud nos in comitatu Waldeccenſi Sagæ aliquot accuſarentur, & juſto judicio, univerſis mediis rectè adhibitis, ad mortem condemnarentur: multi ſanè à me hucuſque petierunt, ut meam de Sagarum actionibus ſententiam, & præcipuè de examine earum in aqua frigida contra Evvichium & Neuvvaldum copioſius aliquantò & expli-

explicatius ſibi proponere, non gravari vellem. Ignoravi igitur, qua ratione diutius illos detinere, aut petitioni ipſorum in hoc quidquam denegare commodè poſſem. Dum enim recordabar, quàm variæ ac diſcrepãtes eſſent hodie, tùm aliorum, tùm judicum, quorum hæc res maximè intereſt, de inquirendis & puniendis Sagis ſententiæ: neſcio qua etiam animi affectione commoverer erga eos potiſſimùm, qui abſque omni exceptione Sagas defendendas, & à peccatis ſuis abſolvendas eſſe contendunt, inter quos princeps eſſe voluit Wierus Medicus, neſcio quo zelo, quáve ratione Sagarum plurimùm miſertus. Quamobrem reb. univerſis exquiſitè probeq; conſideratis, & maturo adhibito conſilio hoſce libros denuò abſolvere cogitavi, in quibus tum de natura, poteſtate, effectisq; Sagarum, tum de variis in eas inquirendi & animadvertendi ſignis atq; indiciis: tum denique de pœna earundem, in communem Reipublicæ, & ad hujus gubernacula ſedentium, ju-

dicum præfectorumq; aliorum commoditatem, quantum fieri potuit explicatissimè disserui. Et præcipuè inter hæc de inquisitione illarum, quæ fit injectione in aquas frigidas, satis, opinor, copiosè quid statuendum sit, aperui ac declaravi. Hunc porrò qualemcunque meũ laborem, quibus aliis potius quàm vobis, Patres Osnaburgenses Reipublicæ, & proceres nobilissimi ac prudentissimi cognoscendum, & à morsu malevolorum sciolorum defendendum offerre debuissem? Quos alios, quæso, horum librorum meorum, & in iis comprehensarum disputationum præsides, præter vos ipsos quæsiviissem? Vos siquidem viri omnibus laudum nominibus digniſſimi, harum rerũ cunctarum præsides, arbitri & judices esse potestis optimi atq; æquissimi. Cum enim omnibus ubiq; gẽtium in propatulo sit, rempublicam vestram si quam aliam benè constitutam administrari à vobis undequaq; prudentissimis sapientissimisq;, & nullo non doctrinarum virtutumq;

tumq́; genere excellentiſſimis viris: nemo etiam opinor mirabitur, ſi & ego V. Nob. Pr. & Hum. ſuffragia quærere, judicia ſubire, iisq́; me totum ſubjicere non fuerim veritus. Vos namq; longa inprimis & diuturna experientia è multis Sagarum cauſis atq; judicijs edocti ante cunctos alios de negotiis ac cauſis illarum, de quibus in hiſce meis libris controvertitur, pro veſtra ſinguli prudentia, erroneas multorum illis ipſis patrocinantium opiniones intelligere, & cõtroverſias inde exortas tollere poteſtis. Huc accedit, quod omnis cauſa hæc mea vos quoq; attingat, veſtraque adeoque totius Oſnaburgenſis Reipublicæ negotium hîc ſimul tractetur: utpote quos contra conſcientiam, & contra omnem juſtitiã Sagas plurimas per aquã frigidam probaſſe, Joannes Evvichius Bremenſis, & Hermannus Neuvvaldus Helmſtatienſis Medici Doctores, falſiſſimè in ſuis libellis clamitarũt, & neſcio quibus aliis convitiis proſcindere haud veriti fuerũt. Quamvis enim

ipſimet

ipſimet vos cauſas veſtras prudentiſſimè agere & ſine omni controverſia defendere valentes, neq; mei neq; ullius alterius patrocinio, alijsve patronis aut defenſoribus opus habere videamini: ego tamen hac data mihi occaſione tũ Lemgovienſis reipublicæ Gubernatores & conſules & conſulares inclytos, Henricum præcipuè Floriken,& Theodorum Cothmannum viros vita longa digniſſimos, tum V. præſertim N. P. & Hum. neſcio qua ratione nõ potui non à Doctorum illorum & juxtà aliorum quorũlibet calumnijs atq; injurijs pro mea virili vindicare. Sunt & aliæ cauſæ plures: quas tamen nunc reticeo. Quocirca Nob. Prud.& Hum.veſtras obnixè etiam atq; etiam rogatas cupio,ut cum ingenuarum literarum ſint amantiſſimæ,hoc literarium meũ munuſculum, æqui boniq; conſulere, benevolo animo ſuſcipere, tueri,& ab oſorum morſibus defendere non velint dedignari. Quod ſi futurum intellexero, haud ſanè exiguam mihi occaſionem præbebunt,

bunt, alia etiam ſublimiora meliora; in communem hominum commoditatem exarandi & divulgandi. Benè & diutiſſimè reipublicæ veſtræ vivite. Datæ Corbachij Waldeccenſium, è Muſæo noſtro, 22. Novemb. Anno 1587.

N. P. & H. V.
addictiſs.

Guilhelmus Adolphus
Scribonius Marp.

Præcipua capita physiologiæ.

Lib. 1. De sagis & de his rectè cognoscendis & puniendis . . . . . 1.

De Magiæ, & simul de naturæ viribus. 29.

De potentia & operibus Cacodæmonum. 35.

De effectis sagarum plenius in genere. 39.

De specialibus nonnullis sagarum effectis. 47.

An sagæ corpora humana inquinamentis morborum contaminare, ranas, aliosque vermes in illis progignere possint &c. . . . 48.

An sagæ scopis vel baculis insidentes, per aërem volitare possint . . . . . 58.

De sagarum in catos, feles, aliave eiusmodi animantia transformatione. . . 66. 2

An sagæ cum satana rem veneream exercere possint . . . . . 77.

Utrum sagæ in mari tempestatem ciere: item pluvias, tonitrua, ventos & alia in aëre producere valeant. . 86. 2.

Lib. 2. De inquirendis per certa signa & rectè cognoscendis examinandisque sagis ubi de purgatione sagarum per aquam frigidam 98. 2

DE SAGIS,
Et de his rectè cognoscendis & puniendis tractatus breuis
GUILIELMI ADOLPHI SCRIbonij Marpurgensis.

EQuis igitur iste Bremēsium Archigrammateus Evvichius, qui tam grandi scilicet suo volumine de Sagarum defensione, Epistolographon quē vocat, ad certamen nescio quod inane & tadiosum provocat, eiq; denuò negotium facessit? Cur enim non inane dicerem, quod à plurimis antè doctissimisq; viris pertractatum esse videmus? Quænam ejus mens est? quis animus? quæ cogitatio? quæ molitio? Si Sagis eum, quæ tamen verisimilis suspicio

est, patrocinari velle dixero: Si laudem & memoriam nominis sempiternam eũ quærere? Si contradicendi eum ipsum studio suam de Sagis censuram conscripsisse objecero: Nihil, opinor, horum omnium concedet. Quamvis postremum istud, contradictio scilicet rectè intellecta, seu potius de rebus omnibus in utramq; partem disserendi consuetudo, indagandæ veritatis gratia sit licita & utilis: si firmis modo & non inutilibus seu planè frivolis argumentis contradictio talis nitatur. Quid igitur? Anné philosophiam suam & eloquentiam ostentare voluit? Utriusq; certé scientia qualis quantávc in ipsò sit, in cõsequentibus deinceps manifestè patebit. Quid verò tandem, si nulla enumeratarum causarum subsit, eum ad scribendum impulit? Actámne omninò & inutiliter egit? Id quidem de viro sene haud facilè dixerim. Voluit enim fortassis integram doctrinam nobis cõmunicare de natura, de proprietate, & cæteris affectionibus Sagarum, ut omnis illarum scientia, fucusq; inde exortus, & dolus populo innotesceret. Idem verò cùm ante Euvichium Wier-

rus,

rus, Thomas Eraſtus, & in primis Bodinus alijq; complures copioſiſsimè præſtiterint, adeò ut illorũ placitis vix ac ne vix quidem uberius quidquam addendum eſſe videatur: Cur ſuis ipſum laboribus ſuperſedere potuiſſe haud neceſſarijs vererer dicere? Sed eſto: quicquid ſit quod eum moverit, & quidcunq; ſcripſerit: quia tamen mihi præcipuè bellum indictum & paratum video: rectiſsimè facturum me arbitror, ſi ſtationem meam atq; partes quoquo modo defendero. Et hoc quidem omniũ maximè, quod quæ ex alijs collegit, abſq; ullo adhibito judicio repetens pleraq; deſcripſerit. Nihil quidem dicitur, quin prius quoq; ſit dictum. Attamen nihil ditendum, niſi cum ſummo judicio, ut quod alij minus rectè fortaſſe dixerint, nos examinare, melius judicare corrigereq; ſtudeamus. Ipſum itaq; qui antagoniſtam ſe nobis unà cum Neuvvaldo quodam Helmſtatienſi profeſſore opponit, aperto Marte deinceps, annuente divino fauore, adoriemur: non tonante tantum tarantara ſono, aut ſolis virulentis linguæ telis: (intellige calumnias atque convitia,

garrulitatemq́ inanem, quibus in certamine pro veritate alicujus rei gerendo, nihil rectè utiliterq́ efficere possumus:) sed telis illum petemus mediâ purioris philosophiæ medullâ oblitis & delibutis, quæ durissimã validissimamq́ ejus quamlibet loricam celeriter penetrare & disrumpere possint. Agedum igitur Euvichi ubinam es? heus adsis, & acumina ingenij tui telorum demonstres. Nos forti imperterritoq́ animo aciem tuam, quantũ vires nostræ patientur, diligentissimè perlustrabimus: fiducia tamen potissimum freti τῆς ἰσοθείας καὶ ἐμπειρίας, sive si malis ξύλου καὶ πέτρας vexillorũ militiæ philosophicæ (philosophiæ nomine intelligo semper omnes artes & facultates, quarum omnium videlicet illa scientia est.) certissimorũ splendidissimorumq́, & nunquam cõtemnendorum. Ratio inquam & experientia hujus militiæ nostræ arma & instrumẽta erunt, quæ nos & partes nostras ubiq́ & optimè defendent & tuebuntur. Partium verò tuarum classes tres ordinatas esse deprehendimus. Prima, si rectè animadverti, decertat de natura & proprietate, de effectus

ctis atq; potentia eorum cõtra quos contendimus. Secunda certat de inquirendis & rectè examinandis illis. Tertia denicq; dimicat de pœna, qua afficiendi sint. Has igitur eodem ordine, quo tu eas proposuisti, aggredimur. Prioris porrò classis primam disceptationem in initio esse video, de varietate & multitudine eorum autorum, qui de Sagis ante te monumenta quædam sua posteritati reliquissent: & de varijs Sagarum appellationibus. Ubi ad nominum pleniorem intelligentiam consulendum esse mones Thomæ Erasti de Lamijs disputationẽ, veteris quem nominas veraq; Medicinæ vindicem acerrimum. Quod dum minus intelligo: miror quam veterem hic Medicinam nomines: cum omnibus exploratum atq; perspectum sit manifestissimè, ipsum Hippocraticam Medicinam, quam omnes antiquissimam esse jure fatemur, multis impugnasse modis in scriptis suis contra Paracelsum & ejus assecias, qui felicissimè omnium dexterrimeq; Hippocraticæ Medicinæ principia interpretari studuerunt. Verũ istis inquam, quæ posuisti de autoribus, &

de nominibus Sagarum, utpote quæ lippis & tonſoribus, ut ajunt, notiora ſunt, quàm ut explicari ea eruditioribus intelligentibuſq; oporteat, relictis atq; poſthabitis: rem ipſam auſpicabimur. Primum itaq; ad Sagarum, de quibus omnis noſtra diſceptatio eſt, naturā, proprietatem, virtutes, effecta, ad pœnam deniq; rectè declarando defendendum: tres earum definitiones adferuntur. Prima ex Ulrico Molitore Juriſconſulto: altera ex Thoma Eraſto: tertia quæ tua ſit, Evvichi, & abs te primùm deſcripta. Placet rem, de qua agendum ſit, prius definiri. At quam ob cauſam, quæro, non una tantùm catholica & ſufficiens, ſed plures unius rei definitiones accumulantur? Tres puto tibi placuerunt: ut ſi prima à lectoribus improbari aut refelli poſſit, ſecundam tamen tibi ipſe retineres; aut ſi ne hæc quidem ſufficere alijs videretur, tertia deniq; quod velles, definiendo perficeret. Quid quod primam nudè repetens, ſecundam ſcilicet Eraſti luculentiſſimam eſſe innuis, eamq; tantoperè commendas, ut ſubjicere non vereari, ſi prius eam animadver-

tiſſes,

tisses, sequentem tertiam videlicet tuam te non additurum fuisse: attamen, quia forsan suum cuiq; pulchrum, aliud loquens, aliud faciens, eam nihilominus addis? Quid sibi vocabulum istud, Prius? Certè antequā posteriorem poneres aut adscribers: animadvertere te antecedentem rectius examinareq; oportuisset. Aut si hoc feciſti: quis te coëgit cum mediam quam ipse censuisti meliorem, posuisses, tertiam denique subjicere? Quis unquam, quæso, Logicorum: si ab ultimis inde temporibus revocati, unum in locum vel universi congregentur: plures unius ejusdemq; rei definitiones præter unicam, eodem præsertim in loco aliquo esse cōficiendas proponendasq; rectè docuit? quomodocunq; demum aut quibuscunq; verborū circumscriptionibus res ipsa definiatur. Una eademq; ratio, unus modus est cōflandæ perfectioris cujuslibet definitionis, ut classicos nostros discipulos docemus. Pone materiam tantummodo & formam, tui definiti propriam: & posueris definitionem perfectè satisq; Logicè formatam. Sin minus: hoc est, si causas illas essentiales perspi-

cere non possis, ad descriptionem progredi licebit: ubi ex reliquis etiam causis vel alijs argumentis rem definias, ijs tamen principalioribus, utpote subjecto vel adjuncto quatumq; fieri potest proprijssimo: quæ omnia in unica etiam descriptione recenseri & declarari possunt. Quod si deinde talis aliqua vel definitio, vel descriptio sufficiens habeatur, aut saltem putetur, quid opus erit pluribus? Cùm præsertim in alijs quoq; rerum explicationibus præter definitionem, quod fieri potest per pauciora, temerè & absq; omni necessitate inchoëtur per plura. Error hic est minus cognitæ artis logicæ, ad cujus normam & præscriptum, omnia, vel ipso Deo docente cunctorũ sapientium philosophorum sapientissimo, dicenda scribenda, facienda sunt: Error est inquam Logicæ & quidem aliorum omnium gravissimus, eò quod argumentum hoc definitionis in artium & aliarum rerum omnium tractãdarum usu sit primum simul & firmissimum. Quid igitur te celarem si tertiæ in schola nostra Corbachiana classis logicæ nimirum auditores tale quidpiam inscribendo

Exod. 28. & alibi.

do committerent, in eos si non virgis cæderentur, alio tamen modo gravissimè animadverti? idq; fieri secundum ordinationes nostræ scholæ jure atq; merito. Sed tale quid de publico alicujus Academiæ professore statuere aut effari velle, odiosum tibi & piaculum videri possit. Mirum tamen qua ratione, qua industria, quóve cum fructu quispiam alios instituere aut erudire in ulla arte facultateq;, aut in cæteris rebus prudenter sapienterq; tractandis, itemq; alios docendis & examinandis informare velit ac possit, qui metipse logicam, id est artem rationis & sapientæ, ejusdemq; fundamenta ignorat, aut si norit, observare tamen ipse in suis rebus non studet. Atqui puta veris hunc errorem tanta reprehensione haud esse dignum ab homine præsertim seniore cõmissum, qui artem hãc rationis in sua juventute minus rectè cognoverit, sed res potius traditas in definitionibus Sagarum introspiciendas & perpendendas esse. Videamus igitur eas. De prioribus duabus nihil seorsim excutiendum videtur, quoniam ipse quoq; tuam solummodò secundum or-

dinem verborum in libro primo examinas: niſi quod in prima dicitur, inter cætera Sagas effectualiter nihil poſſe efficere. In tertia autem, de qua deinceps agemus, aſſeritur eas multa nefanda & incredibilia hortatu Satanæ machinari. Qualis enim hæc eſt, & quàm frivola & abſurda contradictio? Nihil effectualiter agere aut efficere Sagas: & multa nefanda machinari. Quis amabo non intelligit te quod prius cum Molitore generaliter negaſti, deinde iterũ de multis affirmare? Modò ſcilicet ais, modò negas. Niſi omnem efficientiam verbo machinari adimere velis. De efficientia autem iſta in progreſſu deinceps huius libri primi uberius docebimus. Tertia igitur definitio, Evvichi, quam tuam eſſe, & quam ferè Sagarum univerſam naturam continere aſſe-
» ris, examinanda venit. Sagæ ſunt, inquis,
» homines plerunq; fœminini generis, qua
» Deum verum abnegant, ſeductæ fraude,
» conſilio & impulſu Satanæ: Cui interveni-
» ente quodam ſuperſtitioſo contractu ſeſe
» mancipant, ejusq; ope atq; hortatu multa
» nefanda & incredibilia machinantur, ple-

runq;

runq; in aliorũ perniciẽ, obſervatis quibus- "
dam præſtigioſis ceremonijs, uel diris ſaltem "
conceptis votis & imprecationibus. Prolixa "
ſanè hæc definitio eſt: ubi nullum quidem acumen, nullum Logices artificium, quæ tamen in omnibus hominum præcipuè literatorum verbis & enunciatis ſtrictè ſervanda eſt, vel minimùm apparet. Sed tamen quia prolixa ſerie in toto prioris partis, quã propoſuiſti contextu, tanquam in omnibus conſtans atque Catholica ſit, explicatur: nobis quoq; diligenter revidenda, & ad rerum veritatem inquirẽdam retexenda eſt. In explicatione porrò ejus ante omnia Sagas homines eſſe aſſeris & copiosè demonſtras: quia tales, inquiens, non tantum externa hominis effigie, ſed etiam interna forma ejusq́; facultatibus appareant. & alia neſcio quæ plura addis. Quid verò opus eſt iſtis demonſtrationibus? Ecquis hoc ipſum negare auſus eſt? Nec ego, ſi me forſan notes, vel unico verbo artem Sagarũ, quicquid quicquid de ijs locutus fuerim in mea Epiſtola, animantibus brutis ſive beſtijs adſcripſi: nec alios etiam tam inſulſos & in-

eptos

eptos esse disputatores puto, qui cũ de Sagis controvertitur, eas esse bestias arbitrentur, & nõ homines. De forma enim substantiali hic res agitur. Si verò animæ affectiones respicias, plus quàm bestiæ immanes sunt. Verum igitur hoc definitionis tuæ genus est: quod tu præter necessitatẽ prolixè & multis verborum ambagibus demonstrare & concludere pergis: quasi non unico hominis vocabulo simpliciter posito declarare potuisses. At forte Rhetorem agere voluisti, ut Eloquentiæ tuæ splendor eluceret. Nullum verò neq; troporum neq; figurarum Rhetoricæ artis lumen apparet. Et Logicam insulsè te exercuisse ex ante dictis videre est. Sub finem illorum addis: intereunte forma atq; adeo ipsa anima καὶ ἐντελεχείᾳ (malo enim per τ scribere hanc dictionem quàm tecum per δ) prorsus ablata, rem totam interijsse. De forma verum te hoc dicere fateor. Ad pleniorem verò de animæ Entelechia disputationem si descendamus: haud ignorans Aristotelis de ista doctrinam, quam tu defendis, lubens ex te, præsertim Medicinæ & Philosophiæ Doctore cognoscere cuperẽ: quid

quid de plãtis è terra radicitus evulsis atq; repositis sit sentiendum, qualis videlicet ipsarum forma sit? unde illarũm efficientia? Anima quidem quæ dicitur vegetãs, plantarum forma censetur: hæc verò forma, inquam, principium est effectivum aut causa, per quam efficiuntur omnes operationes in corporibus naturalibus, ut ab ipso etiam Aristotele nominatur, qui princeps philosophiæ ab universis alijs, & abs te quoq; ipso agnoscitur. Et rectè quidem forma sic dicitur, eò quod universæ operationes, vires, facultates, qualitates ab hac procedant, & exerantur in materia animati corporis, ceu in subiecto domicilio conveniente: quæ eam ob causam dicitur principium passivum. Idcirco inquam merito quæritur: unde tot tantæq; potẽtiæ & virtutes in plantis oriantur, quas indies experimur, & á quo principio dependeant? Materia enim illarum causa dici nõ potest: quippe cujus nulla prorsus est efficientia: & quæ receptaculum solummodo est formæ ejusq; operationum: licet à Fernelio materiæ quoq; nonnullæ secũdariæ, ut vocãtur, qualitates adscribantur.

De abd. rerum causis.

Nec etiam primæ qualitates iſtarum virtutum cauſæ efficientes ſimpliciter appellari poſſunt. Inſtrumenta ſiquidem hæ ſunt tantummodò effectorum formæ abſq; efficientis illius motu inutilia: vel potius effecta quoq; & ipſæ ſunt cauſæ formalis. Si igitur formæ tandem tribuere velis, anima vegetans certè, ut tamen ab univerſis hucuſq; philoſophis definita fuit, plantarum forma haud erit. Anima ſiquidem iſta eo ipſo momento quo è terris plantæ evelluntur, cum omnibus ſuis facultatibus ſecedit aut perit, ut non amplius nutriantur, creſcant &c. & tamen evulſa iſta & repoſita materia, eſt & dicitur planta. Sed perſpicuè magis ut omnia dicantur, ſyllogiſticè repeto. Si anima plantarum vegetans non ſit amplius in ijs quæ extra terras evulſæ per partes reponuntur: ſequitur illarum quoque ſubſtantiam periiſſe, & eas deinceps nullam habere amplius efficaciam aut operationes ſuæ formæ. Conſequentia patet ex eo quod ais: anima ipſa & Entelechia ablata rem quoq; interiiſſe. Atqui plantæ extra terras nihilominus ſunt & dicuntur plantæ, & plures

de ſe exerunt, & oſtendunt nobis poteſtates. Ergo illarum ſubſtantia ejuſq; virtutes non erunt ab anima vegetante. Aut igitur te firmis argumentis demonſtrare oportet animam vegetantem eſſe formam veram plãtarum, aut aliam dare cauſam qualitatum aliarumq; virtutum omnium in ijs, quod tamen minimè poteris. Sed hæc nihil ad Sagas. Quid autẽ porrò Evvichius? Ad rem ipſam denùò mihi progredienti graviorem ſubnectit præcedentis ſuæ demonſtrationis cauſam, ut amplius mihi in arenam cum eo deſcendendum ſit. Nempe recentis cujuſdam Epiſtolographi judicium Archigrammateus admiratur, quod dixerit iſte in Epiſtola ſua de Sagis, eas inſitæ formæ ſtatum ab eo tempore, quo cum Satana neceſsitudinem ineant, protinus amittere, aut veterem earum formæ ſtatum immutari, nec eſſe eas amplius tales homines, quantum ad formam interiorem ſpectat, quales antè fuerunt. Lis igitur hæc inter Evvichium & me (quem ob literarũ, in quibus iſtam ſententiam meam deſcripſi brevitatem Epiſtolographon vocat) ut rectè

componatur: fateor equidem illa me dixisse, & nunquam inficias ibo. Et Neuvvaldus quidam alius Helmstatiensis Professor eadem verba mea malè interpretatus, indemonstrabilem in se sententiam continere putat. Evvichio autem non tantum admirabilis, sed etiam gravissima adeoq́ absurdissima thesis hæc videtur: unde Epistolographum quoque me calumnijs perstringẽs nominat τερατόλογον, *indoctum philosophum &* ματαιόλογον. *Atqui judicium hoc ejus quàm frivolum sit & minus candidum, ex sequentibus cognoscetur. Judicat nimirum de rebus nondum intellectis: secus quàm vulgata illa gnome monet, Lege: intellige: judica: & me indicta causa cõdemnat. Rhetorum præcepta, quæ tamen Logicorum potius propria esse debebãt, volunt: ut firmissima quæq́ rei cujuslibet demonstrandæ argumenta in principio ponantur. Qualia verò Evvichij argumenta sunt? Calumniæ scilicet & criminationes ab eo pro veris ac firmis demonstrationibus effutiuntur, ut fieri solet non à prudentibus, sed à stolidis & garrulis hominibus: & ea quæ dicta fuerunt*

runt non rectè æstimantur aut perpenduntur. Et paucis interjectis thesin eandem appellat paradoxon, commentum, & hoc ipso me in philosophiã pariter & Theologiam impingere & multipliciter peccare asserit. Paradoxon certè si tradidissem, non idcircò protinus culpandus essem. Paradoxa enim optima utilissimaq; á multis sæpé proposita fuerunt. Annè tu sententias omnes á Cicerone in paradoxis traditas respues, & commenta esse dices, quòd ante ipsum á nemine alio disputatæ fuissent? Temerarium sanè hoc dictum foret. Quomodo autem in philosophiam & Theologiam me impingere, ostendes? Calumniari forsan & criminari, scriptoribus laudi honorique esse putas. O insipidum igitur & inertem me philosophiæ studiosum, qui tam temeré fidem habui Ciceroni veré alioquin Academico philosopho: maledicta inquienti, contumeliæ, tum iracundiæ, contentiones, concertationesq; in disputando pertinaces, indigna mihi philosophia videri solent. O inutilia mea philosophiæ studia: si veritatem rerũ inquirere, cognoscere, alios docere velle, περιτολογία Lib. 1. de finibus.

est. An hæ, Evvichi, sunt indicti tui belli phalanges? An hæc pharetrarum tuarum tela sunt? Videamus igitur quám sint acuta, quám fortia. In bellis autem non verba, sed verbera multũ juvant: ubi non rixandum solummodo, sed armis validis reipsa pugnandum est. Sic in philosophica Musarum militia calumniæ nihil prosunt, rationes autẽ veræ quæ arma hujus propria sunt, facilimé vincunt. Et hoc sensu Cicero in-

5. Tusc. quæst. *quit: Acutè disputantis, non quid quisq; dicat, sed quid cuiq; dicendum, videre est. Quamobrem & nobis considerandum, ut duces á partibus nostris adhibeamus constituamusq; fortissimos, qui prudenter adhibitá ratione res nostras defendant & tueantur. Rectæ rationis dictamen nos omnes in itinere deducat, ejusq; fines nobis demonstret. Galenus ait: Ridiculus est qui quidpiã affirmat, quod demonstrare non possit. Ita igitur agendũ nobis, ne si te Evvichi ridere forsan videamur, nos ipsi ludibrio exponamur. Undeveró & quomodo disceptationẽ vel potius disputationem meam exordiar? Quid ad tam acerrimam, scilicet, contentionem*

tionem primò dicam? quid reſpõdebo? quid agam? propugnacula certè mihi extruenda erunt muris omnib. aheneis ſolidiora robuſtioraq́z: quibus munitus omnia adventantium pugnantiumq́z contra partes meas, & Bremenſium & Helmſtatienſiũ aliorumq́z quorũlibet tela repercutere, & me viciſſim contra illos tueri queam. Quid autem primò dicam aliud, quàm quod res eſt? Argumentum formæ ſeu cauſæ formalis, quam naturã, rationem, virtutem, poteſtatémve arguendi in arte benè diſſerẽdi obtineat, in crebris & pluribus meis prælectionibus Logicæ Rameæ ante biennium quoq́z publicé editis, aliquot annis hucusq́z ſatis copiosè aperui ac demonſtravi. Hæc nimirum ſemper tot annos, quot Logicam artem diſcendo docendoq́z cognoſcere ſtudui, mea de argumento non tantùm formæ, ſed quovis etiam aliquo ſententia, hæc mea doctrina & inſtitutio fuit: ut cõtenderim argumenta Logicæ inventionis univerſa eſſe, relata, reciproca, convertibilia, & mutuò inter ſe affecta: adeoq́z eorum uniuscujusq́z ſpeciem, alteram ejuſdem generis, cum quo commu-

nionem habet, ſpeciem relativè & convertibiliter, viciſſim arguere. Quomodo cauſa nimirum omnis arguit ſuum effectum: & retrorſum commeando omne effectum arguit ſuam cauſam. Subjectum arguit adjunctum: & hoc viciſſim ab illo arguitur. Idemq; de cæterus omnibus intelligendum eſſe ſæpiſſimè docui. Quid igitur cauſæ mihi daretur, quin quod in genere dixi, idem illud de ſingulis ſpeciebus cauſarum, tum aliÿs, tum de forma quoq; ipſa concederem? Cur, quæſo, negarem formam arguere formatum, & hoc quadam relatione iterum illam. Iterum iterumq; dico: forma arguit, declarat, oſtendit, & eſſe ponit ſuum, cujus ut effecti cauſa dicitur, formatum: & cõtra. Ut quia forma ſit, formatum quoq; neceſſariò ſtatuendum ſit: & ſi detur formatum, nos ejus formam dare ac ponere omninò requiratur. Sic anima rationalis eſt forma hominis, homo contrá formatum illius. Ergo quamcunq; ſubſtantiam hominis nomine appellaveris, eam anima rationali praditam eſſe catholicé tibi cõcludendum erit. Et cuicunque animam iſtam tribueris, eam homi-

hominem esse fatearis oportet. Hinc est quod homo post obitum suum & animæ discessum, amplius homo per se & absolutè dici non possit. Eapropter ut ad nostrum negotium hæc accommodentur, & Sagæ quia homines sunt, animam suam rationalem, per quam sunt & dicuntur homines, ad extremum vitæ suæ spiritum, tantisper videlicet dum permanent homines, absq; omni controversia retinent. Et hæc si illis adimatur, aut potius in ijs esse negetur, homines definiri aut nominari quomodo possunt? Hoc est quod de forma in Logicis meis animadversionibus creberrimè repetij. Hoc hoc est quod nunquam negare, nunquam revocare, recantareq; potero. Quod si tu ex libello meo Logico, Evvichi, vel primis quod ajunt labris gustasses, vel ab alijs audivisses, facilimè quoq; sententiam meam de forma Sagarum, quam tantoperè admiraris & calumniaris, capere, & rectius quàm feciſti, interpretari potuisses: nec me contradictionis alicujus eorum, quæ in alijs libris antè scripserim, arguere in hac Epistola cogitasses. Quippe in qua ne verbo quidem ijs

quæ antè disserui, contrarium quidquam proposuerim. Sagas homines esse definivi. Et quid ni? Sed homines eas esse addidi, quarum formæ status simulatq; cum Satana confœderationem inierint, immutetur, nec tales esse, quales ante istam fuerint. Et hæc verba sunt illa, de quibus tanta lis tantáq; controversia agitur. Hoc illud est quod tam absurdum commentum non intelligentibus videtur. Hoc est quod tam vehementer abs te urgetur, acriter oppugnatur, quod deniq; impietatem nescio quam sapere & olére audacter asseritur. Quid igitur in verbis istis absurdi? Quomodo rectè ea interpretabimur? ut subsistere possint? Tu qdem opinaris me formam hominis interiorem seu substãtialem è Sagis excludere. Unde verò hoc colligis? Ex verbis puto minus dextrè intellectis. Non enim de lectis tantùm, sed de lectis pariter & rectè intellectis optimè judicatur. Statum ego formæ Sagarum immutari dixi. Quis autem iste status formæ? Quæ res hoc nomine accipienda est? An ipsa forma aut ejus natura substantialis: sive essentia hominis materia formáq;

magꝫ conſtans? Minimè. An igitur rei formatæ potius accidens ſeu adjuncta conditio, in plurimis quibus ab initio exornata fuit virtutibus atqꝫ potentijs? Hoc ipſum eſt quod volui. Statum enim formæ dum nominavi, nequaquam ſignificare volui ipſam formam aut hujus eſſentiam ſimpliciter, quam omnes uno ore nominant animam rationalem: ſed potius adjunctas animæ rationalis facultates ab ijs rejectas, & reprobatas. στάσις *ſtatus conditióve alicujus hominis, civitatis, Eccleſiæ, ſcholæ, ſculptilis imaginis, formæ, aut rei cujuslibet alterius, quocunqꝫ illa nomine appelletur, non eſt res ipſa cujus ſtatus dicitur: ſed rei illius ceu ſubjecti ſui conjuncta conſtitutio bona vel mala. Viden' igitur Evvichi, quàm vitiosè rem* τῇ στάσει *ſtatui ſubjectã intellexeris, ubi ipſam* στάσιν *ſtatúmve videlicet adjunctum illius ſumere debuiſti: Viden' quàm* ἀλόγως *& contra manifeſtiſsimam rationem Epiſtolam meam interpretatus ſis? Adeò temerarium, ſtolidum & inutile eſt, non conſideratis Logicæ diſciplinæ fundamentis atqꝫ præceptis de re aliqua judicium proferre*

velle. Cogita igitur dum Epistolographon reprehendere studuisti, te ipsum vel tyronũ & puerorum artis quam dixi Logicæ risui maximo expositum esse. Atqui urgere forsitan instabis, quod in sequentibus Epistolæ verbis dixi, Sagas novam plané formam assumpsisse. Certè ubi nova forma succedit, veterem prius abolitam esse oportet. Verumenimverò, inquam, annon poteras ex antecedentibus colligere, hæc Tropica locutione μετονυμικῶς ad exaggerandum quoq; addita esse? An tibi tam difficilis inventio erat Metonymiæ subjecti, ubi vox alicujus subjecti ponitur ad significandum rem ejus adjunctam. Verùm propriè, inquies, omnia proferenda sunt, ut ambiguitas ubiq; evitetur. Esto. Si igitur maximè post longam disputationem demonstraveris me expressé vocabulum formæ absq; addita dictione status usurpasse: ne sic tamen horum verborum inconcinna interpretatio meæ antecedentium expositioni ullo modo refragabitur, neq; adhuc dum tuum contra me argumentum, solidé id quod voluisti, confirmabit. Quî sic ergo quæres? Additum scilicet verbum

verbum immutationis rectè explicetur, & res tota absq; omni controversia facilimè intelligetur. Statum dixi formæ, vel etiam si omnino velis, μεϱονυμικῶς ipsam formam immutari? Quid autē, quis qualisq; motus est rei alicuius immutatio? An omnimoda eius destructio? an totalis corruptio, aut in nihilum redactio? Minimè quidem gentium omnium. Quis enim unquam in scholis præsertim Aristoteleorum, in quorum te quoq; numero haberi cupis, vocabulum illud sensu eiusmodi accepit? Distinguitur enim plurimum inter corruptionem, quæ etiam destructio & interitus dicitur, & inter immutationē, quæ aliâs Alteratio quoq; vocatur. Corruptio cuiuslibet formæ corruptibilis, est talis interitus, ut non sit illa, nec maneat amplius in suo formato. Immutatio sive alteratio est motus rei mobilis aut mutabilis, quo mutatur ipsa non in essētia, verùm in essentiæ qualitatibus, ut tales non sint deinceps aut maneant, quales antè fuerunt observatæ. Vel ut brevius dicatur: Corruptio sive totalis destructio, vel abolitio est substantiæ: alteratio autem seu im-

mutatio est qualitatũ illius qualiumcunq;. Quod si igitur adhuc repeterem, formam Sagarum immutari: quomodo hæc verba rectè interpretari velles? putabisné sensum horum verborum esse, formam earum planè aboleri, omnibus partibus destrui atque corrumpi? Imperitus quidem & insulsus, omniq; ratione plumbeus Physicus hoc facturus sit: sequeretur enim præter ea quæ diximus, Sagas in ista destructione quamprimùm mori, & hanc vitam relinquere: sed qui tantam, ut tu, ætatem in Physicorum Medicorumq; scholis & lectionibus contriverit, eum quam proposuimus veram & cognitu satis facilem specierũ motionis differentiam aut ignorare, aut non admittere velle, prorsus ridiculum est. Hæc enim si non ex Physicorum libris, ex prædicamentis tamen tuis Aristotelicis cognosci poterat. Sciendum igitur, aliud esse substantiam sive formam corrumpi: aliud, eam in qualitatibus adjunctis immutari. Sed quid opus est pluribus? Finem horum facio. Ex antecedentibus proinde facilimè videre est, quo sensu in consequẽtibus deinceps dictum sit,

Sagas

Sagas non amplius esse tales homines, quales fuerint ante initum cum Satana fœdus. Omnis homo, quatenus est homo, conditus est rationalis ad imaginẽ æterni sui creatoris. Ista autẽ Dei Jehovæ in homine imago, quis est qui ignoret, in quibus cõsistat? Non certè in principatu, ut imperium tantummodò (liceat verbis uti Poëtæ) haberet in beluas, aut prædominaretur cæteris, sicuti Augustinus interpretatus est, sed in omni genere virtutum, quibus semper deberet elucere, divo Apostolo Paulo demonstrante, in veritate, sapientia & alijs ejusmodi consistit. Conditus est homo, ut Deo Opt. Max. in omnibus esset similis. Quemadmodum & Plato eruditè pieq́, DEO nos similes esse jubet. Quamvis enim similitudo ista & imago multis, proh dolor, modis per lapsum primorum parentum obfuscata & conspurcata sit: attamen Christus salvator humani generis misertus fecit, ut Deus nos, qui per Adamum omnes lapsi, sub peccato conclusi essemus, iterum erigeret, in gratiam reciperet, & per Filium pro nobis deprecantem, si saltem fidem ipsi haberemus, salvos & bea-

tos esse vellet. Quocirca qui hæc nôrunt (de Christianis loquor per Baptismum regeneratis, & in verbo sacrosancto institutis) & agnitam veritatem nihilominus à Deo trino deficientes, denuò abnegant: cur non dicerem eos tales amplius non esse, quales antè fuerunt, & quales universi esse omninò debent: eos, inquam, qui partem maximam luminis, splẽdoris, dignitatis, & virtutum, quibus anima, aut si velis, forma ipsorum collustrabatur, ex pacto, & certo deliberatoq; consilio lubentes volentes liberrimè amiserunt? qui in profundissimum abyssi aut inferorum lacum se ipsos sponte præcipitârunt, ut cum maxima difficultate superas iterum auras possint contingere. An verò putas eandem quoq; rationem esse aliorum peccatorum, quos & ipsos multiplici delictorum genere coinquinatos esse novimus? Sed, inquam, haud rectè putas. Ineffabile propemodum discrimen est Sagarum & aliorum peccatorum. Et si forsan defensionis meæ testibus alijs, eorúmve testimonijs vix fidem sufficientem habiturus sis: ad summũ sacrosanctæ Trinitatis tribunal, ad ipsum

justis-

justissimum judicem appello Christum Dei filium, qui peccata quæ in Spiritum sanctũ committuntur, non posse remitti asserit. Quali aigitur, dixeris, Sagarum peccata sunt? in quãtum Sagæ ab alijs peccatoribus differunt? Certè si universas Decalogi leges nullis omissis examinaveris, omnes peccatores cum Sagis non sunt conferendi. Quis enim non omnibus modis deteriorem judicabit eum, qui lubens ac sponte sua à Deo deficit, & multoties peccat, quàm aliũ quemvis delinquentem hominem. Alij enim ex stupiditate cordis se Deum minus offendere putant. Sagæ autem Deum aspernantur, cõtemnunt, abjurant, &c. De quo tamen suo loco plenius. De tot igitur adjunctis formæ virtutibus & ornamentis ceu clarissimis septentrionibus obfuscatis, ne quo alio nunc verbo utar: non de essentia dixeram. Tales non amplius esse eas asserui, quales antè fuissent: non intelligens earum substantiam animo & corpore constantem, vel etiam exteriorem constitutionem & faciem. Tale vel non tale esse quidpiã, arguitur & ostenditur argumento comparationis in quali-

tate. *Hoc autem vel illud esse, argumento materiæ, & potissimùm formæ declaratur. Vel quid sit res arguit definitio, quæ ex prædictis causis materia & forma sumitur. Qualis sit res vel non sit, similitudo aut dissimilitudo arguit. Hæc saltem logica fundamenta si Dominus Doctor Evvichius novisset, haud dubiè quoq; potuisset intelligere quo sensu dixissem: Sagas ob tot animæ suæ dotes amissas non amplius esse tales homines quales antè fuerint. At quid in re tam facili opus est pluribus? satis enim abundè intelligitur particulas illas* tales, quales *nõ ad amissam substantiam, sed ut notas comparationis ad immutatas ejus virtutes in Epistola mea referendas fuisse*. *Sed tædet profectò in hisce minutis, quæ mihi propemodum puerilia videntur, diutius immorari. Aliâs certè si fusius tecum, præsertim verò ex Aristotele philosophari vellem: quærerem ex te equidem quid de hac sententia ejus statuendum opineris, ubi docet: detractis accidentibus nihil neq; primis neque secundis substantijs esse reliquum. Quod si credis, nescio quam formam hominis reperire,*

rire, aut ſeorſim demonſtrare poſſis, remotis ſcilicet univerſis ab ea accidentibus. Attamen rationem ſeu animam rationalem omnes pro forma hominis ponunt. Dictis porrò iſtis ſequitur in contextu meæ Epiſtolæ: Sagas definiri poſſe homines eſſentiam diaboli participantes. Quid autem ad hæc Evvichius? Definitionem hanc recenſens: ſe, ait, referentem eam exhorreſcere. Primum ſcilicet argumentum refutandæ definitionis propoſitæ, eſt ab adjuncto horrore. Qualis verò hîc horror? Miror certè. Horror, puto, eſt ſtupiditatis & ignorantiæ. Oritur enim is à frigiditate: ut conſtat è libris Galeni, tum alijs, tum de differentijs febrium: quæ qualitas etiam producit ſtupiditatem ſeu ſtoliditatem. Atqui hæc certè nihil probant. Logicâ igitur, id eſt, certis adductis rationibus res noſtra diſceptanda & demonſtranda eſt: & videndum potius, quibus & qualibus argumentis definitionem ipſe noſtrã impugnet: an ſint illa καθ' ἁπαντὸς *univerſalia & æterna. Primùm tamen definitionis noſtræ ſentẽtiam copioſiùs explicabimus. Deinde ad contrariam*

Evvichij interpretationem progrediemur. Genus illius est quod sint homines. Et generis ejusmodi proprietatem, ut posuimus in Epistola nostra, ita adhuc libentissimè & meritò fatemur atq; retinemus. Nec enim obstant nobis, quæ ab Evvichio hucusq;, ut intellectum est, disputata fuerunt. Major contentio de forma definitionis, ob quam tantoperé inhorrnit, cùm legeret eam: miror quòd non perculsus ad terram procideriit. Quid autem ait, & quomodo, quoque sensu accipiendum, quod dicitur: eas essentiam Satanæ participare? Qualis ista participatio tam maligni spiritus? Participationem esse dico, qua inito cum Satana fœdere scientes volentes ei se associant, ut ipse verissimè sit cum illis, & in illis actualiter, ut in schola Aristoteleorum loquuntur, itemq; realiter. Quid autem hoc aliud est, actu ipso & verè cuipiam inesse vel adesse pravum spiritum, quàm essentialiter. Hoc, inquam, est participare illius essentiam, habere veram cum eo cõmunionem, imò verè ipsum in se habere Satanam, finitum scilicet spiritum in finita natura: quemadmodum alios

etiam

etiam omnes homines circumire ſolet. Eſſentialiter itaq; Sagas participare ſuũ Spiritum aſſerimus, non quòd hujus eſſentia illarum quoq; eſſentiæ in omnibus minutiſſimis particulis ſit phyſico modo commixta & unita: hæc enim eſſet ſpiritualis naturæ in corporatam tranſmutatio: & contra: ſed quia, ut dictum eſt, veré in illis habitat, corda & actiones illarum univerſas ita regit, ut ſibi Satanæ ſoli inſerviant. Et quid ni hoc affirmarem, quod firmiſſimis argumentis ſufficientiſſimé demõſtrare poſſum? Primum enim ut à firmioribus initium ſumatur: Rationes ἐκ τῆς ἱστορίας ſacrarum literarum, quarum teſtem ipſum Deum mentiri neſcientem habemus, deſumptæ, & quidem haud paucæ evincunt: diabolum reipſa, hoc eſt, ſecundum ſpiritualem ſuam formam in hominibus eſſe, eos occupare, aut obſidere poſſe. In hiſtoria Evangeliſtæ Matthæi duo dæmoniaci, λίαν χαλεποὶ valde difficiles aut ſævi, Chriſtum, qui eos expellere volebat, rogant, ſi ſint ejiciendi, ut licitum ſibi ſit abire in gregem præſentem porcorũ. Chriſtus igitur ait illis, abite. Et illi ἐξελθόν- Matth. 8. Luc. 9.

τες, *ut germana Evangelistæ phrasi utamur, egressi ex hominibus istis abierunt in gregem porcorum, & totus grex ruit è præcipitio in mare, & mortui sunt in aquis. Si-*
Matth. 9. *milis est ejusdem historia, ubi Christo adfertur mutus dæmoniacus, &* ἐκβληθέντος τοῦ δαιμονίου, *ejecto dæmonio locutus est mutus.*
In ca. 12. *Præterea apud eundem Christus è cæco pariter & muto dæmonium* ἐκβάλλει *ejicit, ex-*
Ibid. 17. *pellit. Item. Attulit quidam Christo filium suum lunaticum, quem Satanas sæpè in ignem, & sæpè in aquam præcipitem dederat: & increpavit eum Jesus: &* ἐξῆλθεν *exiit ab*
Marc. 9. Luc. 11. *eo, & sanatus est puer. Adducitur insuper ad Christum puer habēs spiritum mutum, à quo lacerabatur ut spumaret, dentibus strideret, exarescēret, & alijs modis cruciabatur. Quid autem Christus? objurgans spiritum impurum: Spiritus, inquit, mute & surde impero tibi* ἔξελθε ἐξ αὐτοῦ, *exi ab eo, & non amplius* εἰσέλθῃς *ingreditor in eum. Ex his & alijs pluribus, quæ propter prolixitatem nunc omittuntur: evidenter comprobari potest, verissimum esse quod diximus, Satanam verè & realiter aliquando corpo-*

ra

ra hominum inhabitare. Verùm enimverò concedens hoc forsan Euvichius cum suis, majorem controversiam esse contenderit, de eo quod quæritur: An καθ' εἶδος formaliter, substantialiter: an verò κατὰ δυνάμεις virtualiter, aut efficientia sua & operibus tantùm mali spiritus sint in Sagis aliisq; obsessis? Sed & hæc quæstio facilimè ex antecedentibus explicari potest. Sagas essentiam participare diaboli antè diximus: eo ipso significantes illum sua substantia & forma spirituali Sagarum, ut & aliorum obsessorum corpora occupare posse. Quæ enim de obsessis audita sunt, de Sagis etiam intelligi posse deinceps plenius ostendetur. Quomodo enim & quam ob causam Christus ex homine aliquo spiritum juberet exire, qui in eum non introiisset? Exi, inquit, ut græca phrasis sonat: egredere ex eo aut ex ejus corpore. Et hac una phrasi semper in omni spiritu maligno expellendo simpliciter absq; ullo Tropo Christus usus est: quæ impropria planè & aliena fuisset, si spiritus ejusmodi, operibus tantùm suis hominum corpora tenerent. Ἐλάω Latinis venio si-

gnificat. *Inde* ἐξέρχομαι, *extra venio, exeo, &c. & hinc* ἐξῆλθε, *inquit Dei filius,* ἐξ αὐτοῦ, *extra puerum veni, exi, egredere ex ipso: geminata particula* ἐξ. Ich gebiete dir/ fahre auß/ gehe herauſſer auß dem Knaben du vnreyner vnd tauber Geyſt. *Nomina certè ſunt notæ rerum. Iſta autem vocabula ſive verba ingredi, introire, exire, egredi, motum ſubſtantiæ localem arguunt. Ergò ſpiritus quoque, quibus hic motus tribuitur, ſubſtantialiter erunt in hominbus, è quibus ſecedere jubentur. Sed paucis inſuper videbimus quoq; teſtimonia quædam humana, & præcipuè ex interpretibus ſacrarum literarum. Chytræus Theologus duplici modo docet, diabolum homines occupare vel ſpiritualiter, quo omnes impios per peccatum captivos tenet, ut apud Joan. Qui peccatum facit ex diabolo eſt: Vel corporaliter, quando habitat in corporibus humanis. Et hæc corporalis inhabitatio eſt, ut nos appellavimus, participatio, qua corpus Sagarum poſt confœderationem factam à ſpiritu iſto obſidetur, ejuſq; actiones etiam ab eodem reguntur. Viſæ ſunt Sagæ admodum*

In Com. c. 8. Matt.

ob

ob ſenectam imbecilles, quæ cum carceribus mancipari deberent, viros etiam robuſtiſſimos præcipites in terram dederunt. Viſa eſt, quæ cúm poſt purgationē in flumine factam in carrum denuò aſcendere nuda propemodū & nulla ſecū vel medicamenta, vel alia, quibus hoc perficeret, habens, ſolo oris ſui afflatu carnificis miniſtrum ita inficeret, ut confeſtim in ipſo itinere, antequam in urbem ipſe veniret, maximè craſſiſſimeq; intumeſceret, & per dies aliquot continuos deinceps decumbere cogeretur. Quid hæc aliud arguunt? quàm diabolum verè etiam corpora Sagarū inhabitare, earumq; membra regere? cùm alioquin facta iſta Sagis impoſſibilia ſint. Ipſe ſcilicet flatum ſeu ſpiritum Sagæ virulentum fecit in ejus corpore, ut per illam deinceps famulus quoq;, de quo dixi, inficeretur. Vide inſuper de hac quæſtione Henr. Bullingeri commentaria in Matthæum, Item Andreæ Hyperij Methodum, in tractatu: quomodo diaboli homines vivos invadāt. Atqui objeceris forſan, Evvichi, ex argumentis diverſorum: Non de Sagis, ſed de alijs obſeſſis, quos vulgò

Bulling. cap. 8. in Matth. Hyp. lib. 2. meth.

hoc nomine appellamus, antecedentia, quæ ex ſacris literis recenſuimus teſtimonia intelligenda eſſe: maximam verò inter Sagas & obſeſſos alios eſſe differentiam. Quænam igitur iſta? Explicetur quæſo. Sumes fortaſsis illam ex diverſitate effectorum. Hoc enim modo nonnulli diſtinguunt: Verè obſeſſi, inquientes, miſerè affliguntur, diſcerpuntur, præcipitantur, torquentur. Sagæ verò non item. Ergo hæ quoq; non ſunt obſeſſæ. Facilè hoc crediderim, ſi axiomata illorum ſint particularia, aut particulariter enuncientur. Quòd verò generaliter inde concludi debeat, Sagas non eſſe obſeſſas, aut nunquam affligi ſeu cruciari: id nemo facilè mihi perſuadebit. Quod enim ad diverſitatem iſtam attinet, non admodum cognitu abſurda eſt. Sagæ, quæ dicuntur, certo pacto ſcientes volentes ſeſe diabolo dedunt, obſtringunt, mancipant, non ut noxam aut detrimentum aliquod ab eo capiant, ſed ut potius optimum quodq; in ſui commoditatem ſperantes alijs nocere & incommodare poſſint. Servare igitur ille aliquando ſolet ſuum pactū aduſq; deſtinatum à Deo tempus:

pus: nec tam graviter eas ut alios obſeſſos diſcrutiat. Quam verò ob cauſam? Non quidem quòd benè illis conſultum velit, aut benè faveat: ſed minus illas affligit & diſcruciat in præſenti vita, ut eò commodius & diutius in reti ſuo retinere, ac tandem poſt obitum quasq; ſuum æternis cruciatibus afflictionibusq; ſubÿcere queat. Alÿ autem obſeſſi, plerunq; inſcÿ, & minus vigilantes, adeòq; nolentes, ab ipſo corripiuntur aut obſidentur: & ſæpè ſi quod damnum aliquando vicinis ſuis intulerint, de eo, ut creditur, iterum dolent, & pœnitentia interdum ſuorum ſcelerũ ducuntur, ac denig; ſunt quaſi immorigeri Satanæ ſervi, qui cupiant ab eo liberari. Cùm igitur minus illos dictis ſuis habeat obedientes: quid mirũ, ſi ſævius etiam cum ÿs agat? ſi gravius quodammodò & vehementius illos torqueat, quàm Sagas? Si homo quispiam famulos ſub ſe alit, alios obedientes, alios refractarios: cum ÿs certè, qui ſponte officium ſuum faciunt, in omnibus mitius agit, magiſq; familiariter eoſdem tractat. Quos verò ſub ſervitute eſſe tædet, quiq; prout voluerit

dominus, omnia non exequuntur, ſed coactè faciunt, ijs ſeveriorem ſe ſemper præbet. Sic etiam Satanas diverſimodè cum Sagis alijsq; à ſe obſeſſis agit. Minimè tamen gentium ex hoc conſequetur, quòd illi volunt: Sagas, quia minus quàm alij, quos ſub jugū ſuum Spiritus iſte pertraxit, aut omnino nihil torqueantur affligantúrve, idcirco non eſſe obſeſſas. In eodem enim ſubjecto varia atq; diverſa opera fieri poſſunt, ut ex eadem materia figulus pro diverſa in eam actione varia vaſa formare poteſt. Et quid multis? Experientia ipſa, & propria Sagarum confeſſio teſtatur, multùm ſæpè eas affligi. Hiſce igitur probè conſideratis ratum manebit quod voluimus: videlicet Sagarum etiam corpora à malo ſpiritu obſideri, licet minús quàm alij homines ab eo affligantur: ideoq; quod de aliorum obſeſſione dictum eſt, ad Sagas etiam rectiſſimè referri poſſe. Et hæc, Evvichi, tecum diſſerenda fuerunt, pro defendenda noſtra quæſtione de reali aut ſubſtantiali Satanæ inhabitatione in corporibus Sagarum. Videbimus deinceps ſigillatim quæ in contrarium ſen-

ſum

ſum abs te adferuntur: examinaturi, ſi ſint iſta veritati & legi καθ' ὅλα conſentanea, nec ne. Præmiſſis enim calumnijs tãdem unum atq; alterum argumentum ſubijcis. Argumenti prioris ſententia hæc eſt: Si Sagæ, inquis, amiſſa priore forma, eſſentiam diaboli ſubſtantialiter acquiſiverunt, ut priſtini homines non ſint: ſequetur eas non poſſe unquam reſipiſcere. Atqui poſſunt pœnitentiam agere, ſicuti probas ex meæ ipſius epiſtolæ verbis. Ergo eſſentiam diaboli non acquiſiverunt. Conſequentiam propoſitionis ex hoc demonſtras, quòd voluntas reſipiſcendi ſit in hominibus, non in cacodæmonibus. Conſtans quidem & verus hic ſyllogiſmus eſt. Quis autem dixit? quis unquam, quæſo, dixerit: Sagas omnem prorſus humanam naturam exuiſſe? quis dixit eas in cacodæmones eſſentialiter mutatas eſſe? eo, quo tu accipis ſenſu, videlicet eſſentiali, utriuſq; & humanæ & diabolicæ naturæ cõmixtione aut tranſmutatione? Id equidem fateor dictu eſſe abſurdiſſimum, & meram πεφλολογίαν. *Sequitur enim, ſi quid antecedentibus adjiciendum ſit, Sagas planè ſpi-*

ritualem, ideoq; impalpabilem, & non aſpectabilem naturam obtinere, id quod contra omnem oculorum experientiam proponeretur. Aliter ego, ut demonſtratum eſt antè, Satanæ participationem definivi. Quod ſi intellectum fuerit, liquidò pariter patebit, ſyllogiſmum tuum nihil contra nos facere, adeoq; temerè abſq; ulla neceſſitate productum eſſe. Si enim dixeris: Malus ſpiritus veré & eſſentialiter Sagarum corpora inhabitat: ergò reſipiſcere nunquam poſſunt. Enthymematis hujus cõſequentia minimé firma eſt. Connexio, inquam, ejus partium haudquaquam neceſſaria eſt: ut ex propoſitione, ſi addatur, evidentius percipi poteſt. Etiamſi enim ille peccatrices ejuſmodi, permiſſu Dei vinctas teneat, vinctus tamen & ipſe à Deo atq; hoc modo ligatus in ijs eſt, ut non poſſit ulterius in eas agere aut ſævire, quàm Deus ipſe Opt. Max. permittat. Poſſunt, ſcilicet, admirando Dei auxilio, ſi velint, pœnitentiam iterum agere. Sicut omnis non renatus retinet aliquam libertatem voluntatis, qua regere poteſt actiones tum internas tum externas. Sed quot

ſunt,

ſunt, proh Deum immortalem, quæ ut maximè moneantur, illud tamen nō reſpuant? Utinam certè omnes ſeſe ad præpotentem Dei æterni ſpiritum converterent. At quid multis? Satis enim ex antedictis apparet, abs te propoſitum ſyllogiſmum, ſententiam noſtram non infringere. Veruntamen ad illuſtrādum eum progrederis ad exemplum Nebucadnezaris regis: cujus tranſmutationem in feram ais non eſſe juxta τὸ ῥητὸν explicandam. Quomodocunq; ſanè iſta intelligenda ſit Nebucadnezaris tranſmutatio: de qua deinceps ſigillatim in ſuo loco videbimus: Syllogiſmus tamen tuus nihil contra nos concludit. Quod verò ſubjicitur hoc modo omnes alios quoq; peccatores, ſi reſipiſcant, novos homines creari, id autem dictu eſſe abſurdiſſimum. Certè ſi novam eſſentiæ creationem intelligas, quid ni abſurdum & planè ἄλογον hoc eſſet? Sin verò qualitates inſpiciamus, quis, quæſo, inficias iverit, quin veriſſimum ſit, omnes peccatores, ſi acta pœnitentia regenerentur, novos homines fieri, aut, ut Beza loquitur, creari: ſecundum illud, Cor novum in me crea do-

mine. Hæc enim loquendi phraſis tum Chriſto ipſi, tum miniſtris ejus & interpretibus familiaris frequensq; fuit. Dico vobis, niſi quis genitus fuerit de novo: So einer nicht von neuwem geboren wirdt, *non introibit in regnum cœlorum.* Ubi *Beza in commentarijs addit: initium Chriſtianiſmi poſitum eſt in eo, ut ſciamus nos penitùs in peccato mortuos, ut neceſſe ſit naturam noſtram, quod ad qualitates attinet, rurſum & de integro creari. Et Apoſtolus ad Titum cap. 3. ait: Non ex operibus, ſed miſericordia ſalvos nos fecit per lavacrum regenerationis & renovationis S. ſpiritus. Quid igitur abſurdi eſt, ſi communi Apoſtolorum ſermone & ego dicam: reſipiſcentes aut regeneratos fieri novos homines? Cur impropria videretur hæc phraſis, qua divini homines illi Spiritu ſancto inflati, in eadem materia & ſententia uſi ſunt? Vides itaque Evvichi, tuam in hoc loco animadverſionem iterum & quidem graviore alia animadverſione fuiſſe digniſſimam. Vides qualem Theologum te oſtendas. Attamen pergis, ut ex unico errore infinitos alios oriri demonſtres.*

Nul-

Nullus, inquiens, philoſophorum depravationem hominis, ablationem ſubſtantiæ, & rurſus emendationem ejus novæ ſubſtantiæ generationem appellavit. Scio, & jure equidem concedo. Temerè enim & contra omnem rationem hoc dicturi fuiſſent. Neq; ego de hoc in mea Epiſtola quidquam aſſerui. Quid porrò? Neq; ais deinceps, tam inſani ſunt Theologi, præter unum Illyricum, Manichæam ſobolem, uti peccatum ſubſtãtiam eſſe contendant, aut priorem ſubſtantiam ablatam ſuccedente peccato credant, &c. Et inde in ſequentibus me Manichæum vocare non erubeſcis. Heu proh Deum immortalem! Proh omnium Theologorum fidem quid audio! Qualem Logicũ, & quàm admirabilem diſſerendi rationem nunc deprehendo! An Manichæorum error, an Illyrici aliorúm ve, qui eos imitantur, opinio de peccato ſubſtãtiali ex meis theſibus demonſtrari poteſt? Minimè gentium, vel ſi univerſas ingenij tui dotes huc conferas, id ipſum comprobabis. Quidcunq; enim Illyrico, aut qualiſcunq; ei autoritas, utpote homini literatiſſimo, tribuenda ſit: nunquam

tamen in erroneam ejus ſententiam ire potui, ut crederem peccatum in homine eſſe quidpiam ſubſtantiale, aut ſubſtantiam ejus cõſtituere. Quid Manichæi de hac quæſtione ſcripſerint, quid Illyricus, quid Spangenbergius, quid alij, parum admodum curavi. Sententias illorum vix memini me legere. Et nihilominus jam diu, quando alij de hac erronea opinione diſſererent ex logicis, intelligentiam ejus ſolutionemq; cognoſcere potui. Qui enim vel primoribus labris guſtarunt, vel extremis, ut ajunt, digitis logicam attigerunt, ijs exploratiſſimè cognitum & perſpectum eſt: Quicquid ulli rei ſubjectæ ſeu ſubſtantiæ extrinſecus præter eſſentiales cauſſas accedit, illud ejus adjunctum eſſe. Aſſume igitur: peccatum homini extrinſecus adjungitur præter eſſentiam: conditus enim homo fuit, vt poſſet vel peccare, vel absq; peccatis eſſe. Et neceſſariò cõcludendum erit: peccatum eſſe adjunctum potius hominis, quàm eſſentiam. Totus, totus quidem, quantus etiam quantus ſit homo, peccator eſt, qui, ut Ethnicus quoque philoſophatur Hippocrates in ſuis Epiſtolis,

ex

ex maternis uteri inquinamentis talis prodijt. Nec tamen hoc ipso arguitur, peccatum esse de substantia hominis. Adamus ante lapsum integer erat vitæ scelerisq; purus: conditus à DEO in omni integritate, creatura scilicet corporata rationalis. Cum verò de vetita arbore comederet, lapsus in hoc peccavit: substantiam suam pluribus modis commaculans. Lapsus igitur iste & peccatum Adami, accessorium quidpiam fuit, quod abesse & deinceps adesse potuit. Quod autem hoc modo affectum est, id inter adjuncta referri quis tam rudis est, qui non percipiat? integritas nimirum & puritas, itemq; lapsus & commaculatio substantiæ Adami adjuncta rectè nuncupantur. Demirari itaq; satis non possum tam insignem & crassum errorem de peccato substantiali mihi ab Evvichio vitiosissimè imputari. Et si non ex alijs, ex hac tamen tam futili præsertim argumentatione liquidò apparet, multa quidem ab eo dici, probari pauciſsima. Sententia ejus contraria hæc est. Forma Sagarum est ablata. Ergo peccatum est substãtia. Quasi ego dixissem,

ſuccedente ut ipſe loquitur peccato priorem ſubſtãtiam planè auferri: atq; ita peccatum eſſentialem cauſam eſſe poſuiſſem novæ ſubſtantiæ. Sed hoc ipſiſſimum illud eſt quod nunquam mihi perſuaderi paſſus ſum, neq; ullibi in Epiſtola mea de Sagis à me concluſum fuit. Neq; etiam ſi maximè non de omnimoda ablatione, ſed de immutatione aut alteratione Sagarum formæ loquaris, conſequentia iſta de ſubſtantiali peccato rectè extruitur. Attamen error iſte Manichæus, quem ego nunquam approbavi, alio inſuper argumento abs te Evvichi deinceps refutatur. Sequeretur, inquis, nunquam verè homines eſſe, cum ſemper adſit peccatum. Et hiſce dictis, eorum quodammodo ſententiam eſſe congruam aſſeris, qui in actione baptiſmatis Exorciſmum retinere volunt, percuſſorem pro vulnere accipientes. Prioris refutatio ex antè traditis patet. De Exorciſmo in baptiſmate non anxiè admodum nunc contendo. Aliam tamen eſſe dico rationem peccati infantium originalis, aliam aliorum hominum, maximè Sagarum. Et infantes ante regenerationem ſunt ſubjecti

regno

regno & potentiæ peccati & Satanæ, ſed ſpirituali captivitate, qua omnes fide carẽtes impij tenentur à Diabolo: ſecundum illud Joannis: Qui facit peccatũ ex Diabolo eſt: id quod explicatè ſatis oſtendit Chytræus in loco ſuperius citato. Sagæ autẽ præter iſtam ſpiritualem captivitatem corporaliter etiam, ut ille loquitur, obſidentur. Nulla igitur cauſa eſt, cur exemplo exorciſmi noſtram ſententiam ceu erroneam refutare velis. At pergendum ad ſequẽtia. Sub finem huius tractationis additur, eos ſimili propemodum errore teneri, qui putent Sagas interdum in feles mutari, & mirifica tripudia patrare. Sed de hoc deinceps in ſuo loco videbimus. Concluditur porrò integra diſputatio, ut copioſius ſcilicet demonſtretur, additis pluribus calumnijs. Quod ſi autem artis eſſet rixari, calumniari: ſi convitijs aliquem petere, philoſophicum eſſet, quot quæſo putas hîc me calumnias aggregare poſſe? Illiteratorum ſophiſtarum eſt, ſi res ſuas & quæſtiones multis firmioribus argumentis demonſtrare aut explicare nequeunt, convitiando obiurgandoq; tempus

terere. Mulierculārum & puerorum est, lites & controversias suas aliásq; actiones calumniando componere. Scribonius qualis qualis sit, hanc differendi & conferēdi consuetudinem semper improbavit. Phui turpitudinem, inquis, verborum, & impiam philosophiam, & hæreticā Theologiam, minimè in Christi schola ferendam. Et quæ sunt alia convitia. Phui inanem, ego inquā, & nimis jejunè, non enim dicam aniliter puerilitérve, differentem Doctorem. O irrequietum seditiosumq; ingenium! O impudicam hominis impudentiam! qui tam facilè absq; ullis rationibus negotium alijs facessere non erubescit. Sed hæc de forma adeoq; natura Sagarum & proprietate sufficere visa sunt. Quandoquidem verò præter te Evvichi, & Helmstatiensis quidā Neosylvanus militiæ nostræ defensores eádem propemodum ratione impugnat, sigillatim quoq; & ejus tela quædā nobis repercutienda erunt, ut universis clarissimè innotescat, qualem singuli disceptandi & belligerandi causam habueritis. Quænam igitur, Neuvvaldi, & quónam ordine instructa

est

eſt acies? Jucũdus ne eſt illius aſpectus? contemplandum nobis proponit examen Sagarum: ubi neſcio quantam qualemq; copiam probationis delinquentium hominum primũ videre & numerare licet. Ac poſt longam denicq; demonſtrationẽ, ad impugnandam & impediendam Sagarum in fluminibus purgationem, de forma illarum contendere incipit. Quid verò eſt quod aggreditur? Me, inquit, alio aſſumpto principio aſſerere: veneficas prioris ſuæ formæ ſtatum eo momento, quo cum Diabolo paciſcuntur, immutare, & novæ formæ veſtitũ induere. Fateor equidem me dixiſſe: Quid enim negarem? niſi quem ego ſtatum dixi, ipſe veſtitũ nominat. Omnes autem verè ingenui ac literati homines in hoc, opinor, me defendent, qui modò noverint naturam ſubjectorum adjunctorumq; ex logicis diſcernere. Status & veſtitus rei alicujus ſubjectæ utrúmne ad ſubſtantiam, ut loquuntur, ſeu ad ſubjecta referendus eſt, an verò ad claſſem adjunctorum? ad claſſem puto poſteriorem. Et quid ni? Logicæ enim leges hoc volunt, hoc jubent, & quidem rectiſſimè

præcipiunt. Quod ſi igitur de adjunctis formæ Sagarum locutus ſum, quid cauſæ eſt, tur Neuvvaldus verba mea reſtringat ad formas earum eſſentiales? Dixerat antè de ſtatu & veſtitu formæ: deinceps ſubjicit falſiſſimum eſſe earum formas eſſentiales immutari, & alias induci: quæ ſanè ut manifeſtiſſima, ſic putidiſſima contradictio eſt. Aliud eſt quod ego propoſui de ſtatu, de veſtitu, aut omnino de qualitatibus formæ: aliud eſt quod tu Neuvvalde aſſumpſiſti de ipſa formæ eſſentia, id ſcilicet, quod nunquam, quantum ad poſitam ſententiam attinet, ejusq; veritatem, mihi in mẽtem venit. Apparet itaq;, quàm temerè nobis te opposueris. Imò ſi maximè dixerim formas immutari: verbum tamen hoc alterationem ſolummodò adjunctorum arguit, quæ ab omnibus Ariſtoteleis phyſicis ad qualitatem refertur in diſtinguendis motuum ſpeciebus. Qualitates autem tum propriæ tum communes adjuncta ſunt: ut facilimè cognoſci potuerit, me arguere & ſignificare velle mutationem non formarum ipſarum eſſentiæ ſed adjunctorum. Quis verò ex

antece-

antecedentibus non accuratè ſatis percepit, etiam qualitates formæ humanæ immutari poſſe? cum univerſi Theologi libentiſſimè fateantur, rationem humanam, quæ forma hominis rectè creditur, in omnibus Adami poſteris labefactatam, & multis modis debilitatam, adeoq; corruptam eſſe, ac illos tamen homines manſiſſe. Cicero philoſophus verè Academicus de Rullo in 2. Agrar: Alio (inquit) vultu, alio vocis ſono, alio inceſſu eſſe meditabatur. Alium ſcilicet hominem factum eſſe Rullum oſtendit. An verò hunc locum Ciceronis de forma Rulli, vel etiam de corporea eius eſſentia interpretaberis: vel de animi affectionibus ſive qualitatibus accipiendum eſſe putabis? Poſterius opinor, te conceſſurũ: & quidem rectè. Quamobrem per ſe quoq; corruit id quod in definitione pacti deinceps abs te Neuvvalde ſubijcitur. Pactum, ais, eſt animorum in idem conſenſio de re aliqua contrahentium, nulla interveniẽte, vel in qualitatibus, vel in ſubſtantia facta alteratione. Nullane fit in pacto qualitatum alteratio? Si igitur Sagæ paciſcuntur cum Satana, ſe relicto Deo

vero, hujusq; verbo sacrosancto, omnia scelera contra proximos perpetraturas esse, si virtutibus expulsis vitia subsequuntur aut accedunt animæ: quis non nisi extremè stupidus videt qualitatum fieri alterationem? Et mirũ certè definitionis tuæ axioma est. Quod enim in ea de qualitatibus negasti, paulò post iterum affirmas: ubi mecum contra Evvichium (de quo ante) fateris, regenerationem veteris hominis non essentia sed qualitatum ratione fieri, & primam primorum parentum, instinctu Diaboli factam alterationẽ asseris non essentiali formæ destructionem intulisse, sed in qualitatibus animam esse eam expertam. Cogita quàm absurda hæc tua fuerit disputatio.

„ Additur autem deinde: qui dicit Diabolum
„ rerum formas mutare, prorsus amens &
„ delirus est, nec principijs physicis instru-
„ ctus. Rectè: si de mutatione intelligitur, qua fit novo creationis modo, lubens tibi adstipulor. Adhæc differere non desistis contra thesin nostram, qua asseveravimus, Diabolum realiter, essentiam & partes omnes occupare: hæc enim expressè tua verba sunt.

Quid

Quid porró? Nos, inquis, contrarium aſſerimus, veneficas non eſſe obſeſſas corporaliter, ſed mente tenus: Addita differentia inter Sagas & obſeſſos alios, quam in præcedentibus, ubi prolixé de hac quæſtione egimus, minimé catholicam eſſe indicavimus. Quid ſi plenioris intelligentiæ gratia adderem, argumentum illud tuum omninò pro mea ſententia tuenda facere? Si enim mente obſidẽtur veneficæ, etiam corpore eædem obſidentur. Atqui prius tuo judicio confirmatur. Ergo & poſterius firmũ & verum erit. Propoſitionis meæ cõſequentia demonſtrabilis eſt ex hoc, quod mẽs ſeu anima hominis eſt tota in toto corpore, in univerſis ſcilicet etiam minutiſſimis ejus particulis, ut rectè P. Melanchton & alij phyſici eum imitati philoſophantur. Nempe ſi mentem Sagarum Spiritus maligni obſident, erunt etiam in corporibus earundem. Huc accedit quod in explicando argumento levitatis Sagarũ, quod ſumptum dicis ab obſeſſione, omnium abſurdiſſimé abs te prolatum eſt: nullo modo veneficas obſeſſas eſſe. Qualis hæc & quanta eſt animi inconſtantia?

qualis verborum contradictio? Venefica mente tenus obsessæ sunt: & iterum: Nullo modo obsessæ sunt. Quale tuum acumen? Quænam, ô Neuvvalde, memoria? Modò ais, Modò negas. Veritas, ut in Ethicis nostris ex Aristotele definitur, est debita sermonum dictorumq; constantia. Si igitur verus haberi, si fidem dictorũ tuorum promereri velis: oportet te certè constãtem esse. Hæc habui, quæ de forma Sagarũ, earumq; proprietate pro veritate contra te ulterius præter antecedentia dicerẽ. Si enim copiosius pergerem: tanta de eadem quæstione prolixitas nimis vereor lectoribus odiosa foret. Redeo itaq; seorsim ad Evvichium. Is in progressu suorum librorũ post concluſam præcedentem quæstionem disserere pergens: Sequitur, inquit, in descriptione nostra Sagarum: eas plerunq; fœminini generis esse. Quidni verò Evvichi? Fateor. Et nemo Grammaticorum hoc negaverit. Regula enim generalis atq; Catholica, semperq; vera docet: Omnem Sagã esse generis fœminini. Si verò de distinctione sexus humani vocabulum generis accipiendum esse velis: ne sic quidem

li. 4. Eth. Scrib. c. 7

quidem ſententiam tuã omni ex parte improbare poſſumus. At aliter informanda fuiſſet definitio. Homo enim artem Magicam ſive veneficam exercens, ſi Saga nominetur, ſemper fœmina aut mulieris perſona intelligitur. Maſculina autem perſona eandem callens artem alijs nominibus appellatur. Et multi ſæpè tales ex maſculino genere Magi reperiuntur. In ducatu Brunſvicenſi duo, hoc in anno cremati ſunt. Sed ad alia progrediendum.

De Magiæ, & ſimul de naturæ viribus.

ADhuc de natura Sagarum copiosè diſſeruimus: progrediendum deinceps ad effecta earundem. De his breviſſimus fuit Evvichius. Neuvvaldus ferè nullus. Quandoquidem verò ex his ceu fructibus arbores optimè cognoſcuntur, & judicium de ijs proferendum rectius deſumi potest: uberius aliquid de ijs repeti operæ pretium ac neceſſum fuerit, præſertim ob diſcrepantes etiam aliorum autorũ hac de re opiniones.

Sunt enim qui quotiescunq; adversi quidpiam sive mali contingit, id omne Sagas efficere & operari putant. Sunt & quidem haud pauci qui nihil prorsus eas facere sua virtute posse autumant. Utramq; partem gravissimè hallucinari deinceps manifestè comprobabitur. Primùm enim vehemẽter eos decipi, falli, labi, errare, peccareq; statuimus, qui quaslibet inusitatas & portẽtosas in corporibus præcipuè animantium affectiones aut quascunq; inconsuetas observationes solis Sagis protinus adscribere solent: veluti ranas & inusitatioris formæ vermes alios, itemq; serpentes in hominis alicujus ventre progenitos: aut si videant ante incognito & diuturniore aliquem morbo, quem Medici citò definire aut curare confestim nequeunt, esse correptũ, ejus causam procreatricem veneficam aliquam esse clamitant. Quamvis enim à Sagis sæpè producantur ejusmodi rerum genera: non tamen semper & in omnibus ortũ ab ijs trahunt. Multũ in his faciendis natura, multum ejus imitatrix Magia potest: quod qui ignoramus, aut causam ejus non rectè perspicimus,

ſpicimus, Sagis tribuere conſuevimus. Sed hæc ut clarius intelligantur, paucis aliquid de Magia adjiciendum. Eſt autẽ hæc duplex: Alia vera ſive licita, quã naturalem vocant: alia illicita, ſive præternaturalis, quo nomine Sagarum operationes appellari ſolent. Magia vera eſt abſolutiſſima philoſophiæ phyſiologicæ myſteriorum ſcientia: omnia totius univerſitatis arcana, prout hominibus cognoſcere fas eſt, perſpecta tenens. Hujus enim ſcientiæ gnari, qui nunc appellantur Philoſophi, olim apud Perſas maximè & AEgyptios Magi honeſtiſſimè, phraſi nimirum Perſica dicti fuerunt. Hæc Magia influentiam Mundi ſuperioris in inferiorem habuit exploratiſſimam. Hæc terræ creſcentium naturas, qualitates, virtutes, earumq; commixtionem accuratè novit. Ideoq; magiſtris ejus ſummus etiam habitus fuit honos: adeò ut apud Perſas, quos dixi, nemo ad dignitatem Regiam admitteretur, aut Rex Imperatórve crearetur, qui non eſſet ex ſocietate Magorum. Ex horum numero præter alios credunt etiam Theologi fuiſſe Moyſen AEgyptium: item

Diog. Laërtius de vita Philoſoph.

Brent.in com. ca, 8.act.ho mi.34. *Salomonem: Item teſtante Brentio, Danielem prophetam. Hi enim naturæ rerũ fuerunt peritiſsimi. Tales quoq; fuerunt, ut Tremellius teſtari videtur, tres Magi Orientales, qui aſpectu & contemplatione ſtellæ cæleſtis, Chriſti Dei filij nativitatem perſpicientes, ex Perſarum urbe Suſa (in qua florentiſsima fuit olim Magorũ ſchola) iter videlicet dimenſi ducentorum & triginta miliarium, ad adorandum eum Hieroſolymã uſq; profecti ſunt. Verba Tremellij ſunt: Magi Syrè dicuntur Megiſcha: quæ quidem vox in Talmudicis libris malè ſonat, notatq; deditos artibus Magicis. In Syriaco autem Teſtamento, ſicut apud Perſas, vocabulum eſt honeſtum, ac ſignificat homines tum ſapientia, tum religione claros. Quis igitur non ſummoperè demiretur ſententiam Eraſti, ubi contendit nullam Magiam inveniri licitam: adeó ut dicere non vereatur de Magis ſolis qui ad Chriſtũ venerunt, quid loquatur ſe non habere, boninè fuerint an mali? Magi, inquit etiam, nomen ſemper ferè pro homine infami & deteſtabili accipitur. Quid mi Eraſte? Utrúmne*

Magi ad Chriſtũ non ex Saba urbe Meridionali, ſed ex Suſa venerunt.

In Com. Matth.2.

Tho. Eraſt. in tract. de lamijs.

Perſa-

Perſarum Reges, & AEgyptiorum ſacerdotes omnes fuerunt habiti infames atque deteſtabiles? Quid, quæſo, abſurdius? Scientia porrò horum, celebritas, claritas & ſplẽdor fuit eximius, potentiaq; in rebus varijs & mirabilibus efficiendis mirifica: ut ex ijs repetere licet, qui de vitis Magorum philoſophorumq; ſcripſerunt. In intima naturæ adyta penetrãtes (id quod cuivis facere non conceditur: non enim cuilibet licet adire Corinthum) res admirandas cognoſcere, intelligere, exercere, facere, producere, & de novo progignere poſſunt, ad imitationem videlicet ipſius naturæ. Quænám igitur, & quales iſtorum operationes ſunt? Exempla qui deſiderat, poterit ea petere ex libris & monumentis illorum, qui Magiam naturalem docuerunt, & poſteritati deſcriptam tradiderunt. Unum atq; alterum ſolummodo hîc recenſebimus. Magi nivem in locis æſtuantibus calidiſſimisq; efficere & ciere poſſunt. Item roſas recentes in media bruma producere: vivas etiam animãtium ſpecies ex alieno & improprio ſemine procreare. Et hæc omnia opificio naturæ: quia

Magis hiſce terra Auſtrina fructus floresq́ profert, cum Septentrionalis regio verſuum non habet; ijsq́ ſingulis diebus fermè Aprilis, Majus, & quilibet alius menſis eſt: meſſis & ſatio ſemper. Id quod Magiæ imperitis abſurdū, adeoq́ impoſſibile videtur: ut, ſi ejusmodi opera ſeu facta deprehendunt, Satanæ opera eſſe pronuncient. Quid verò inquies? An igitur & ipſa natura efficere ea poteſt, de quibus anté dictum eſt? omninò quidem. Natura rerum omnium genitrix multa ejusmodi ex cauſis phyſicis & certis motibus progignere potis eſt: quæ alioquin fieri haud poſſe videntur: id quod cùm ratio, tum experientia quotidiana firmiſſimé demonſtrat, & verbotenus hoc ipſum Galenus quoq́ teſtatur. Variæ admirandæ, & prorſus ſtupendæ, reconditæ & longé noſtra cognitione profundiores, adeoque ineffabiles naturæ ſunt poteſtates, virtutes, operationes, tàm ἐν τῷ κόσμῳ μεγάλῳ in mundo majore, quàm ἐν τῷ μικροκόσμῳ, in mūdo minore, quem hominem appellamus: eæq́ ſæpenumerò ſatis ludicræ, ut propter novitatem, aut etiam raritatem eas admi-

Com. 56. lib. 7. Aphoriſ.

rati

rati pro miraculis habeamus, nec naturali cursu eas provenire progrediq; credamus. Sicuti miraculum quoq; philosophi definiunt, quod quia sit insolitũ sive rarum, admirationem adfert. Naturæ inquam lusus sæpè hominibus est miraculum, eó quod ejus causas ignoremus, & rei præter consuetudinem visæ naturam, virtutes, effecta haud satis perspiciamus. Exemplis specialioribus res dilucidior erit. Vidi ipse aliquãdo Marpurgi à cive quodã tres ranas satis crassas vi medicamentorum expulsas esse, eumq; deinceps brevi revaluisse: ut omnibus manifestũ fieri potuerit, eas ex naturali aliqua putrescẽte materia in corpore illius crevisse. Et quid mirũ ejusmodi animantia in corporibus hominũ generari? cùm videamus aliquando etiam ranis pluere, quæ in superiore aëre ex putrida, quæ calida atq; humida est, materia procreantur: aut sursum attracto cum vaporibus aqueis ranarũ spermate, ut copiosè ostendit Milichius Plinij interpres. Similiter & alij vermes ibidem ex simili quoq; materia & quidem propter hujus diversitatem diversarum specierum

In Com. lib. 2. natur. hist. Plin.

figuris generantur. Anno 84 proximo antè ferias Palmarũ die Lunæ, rustici cujusdam molitoris propè oppidũ Heßstein *filius, annos triginta & pauló plures natus, qui per integrũ fere semestre spacium insignes corporis cruciatus sustinuisset, exhibitis à me alexipharmacis ijsq; fortiter simul purgantibus, egeßit ultra quinquaginta vermes, singulos formam serpentis junioris repræsentantes, capite acuminato, circulo circa collum lacteo, corpore aliâs toto nigricante, quos parens ejus protinus in Oderam fluvium prope molam suam conjecit: & hoc ita factum esse ad me postero die Corbachium veniẽs, multis honestis civibus indicavit, mihiq; mercedem benignam solvit. Filius brevi revaluit. Eodem anno, insequente nimirum æstate, & in ipso tempore vindemiarum, alius quidam in pago* Immingshusen/ *quod miliare tantummodò unum distat ab urbe Corbachio, postquam menses aliquot continuos ventre suo plurimùm tumefacto, graves puncturas & erosiones sensisset, equo vectus, unà cum uxore sua ad me venit auxilia petitum, quæ sibi prodesse*

queant.

queant. Accepta igitur & ad præscriptum rité usurpata potione egessit duabus vicibus tantam monstrosorum vermium copiam, ut integram illi urnam replevissent. Animantia erant instar lacertarum, singula majorem digitum longa, capite & reliquo corpore crassiore, sanguine pleno ubiq; anfractuoso, sed cauda quasi mucronata: quorum vermium aliquot ab ejus uxore in vitro ampliore & aqua repleto mihi transmissos, clarissimus vir Lazarus Schonerus, scholæ tum temporis Corbachianæ Rector, quem honoris causa nomino, & præter hunc alij multi cives nostrates conspexerunt. Hic certé nullâ, quam ego rescierim, suspicionem veneficij conceperat, sed se hydropicum factum esse crediderat. Cur igitur Sagis animalculorum istorum in ejus corpore productionem adscriberemus? Facilè potuit materiam ejusmodi in aquæ potu ebibere, é qua deinde illa procrearentur. Quid quod vermes etiam in infantibus & pueris indies generari, eosq; sæpè longos, & numero plurimos, quotidiana experiẽtia testatur? Cur igitur portentum aut veneficium protinus

putaremus, si in grandioris ætatis hominibus vermes majores, forma ranarum, serpentum, aliorúmve animalculorum nonnunquam videamus? Franciscus Valleriola Medicus testatur, Petrum quendam Ratonum vinitorē Anno 61. in febri continente, assumpto purgante pharmaco, membranam ejecisse palmos viginti longam: & pauló post alteram palmorum octo longitudinis, utranq; tenuem, colore ex albo in luteum inclinante, mollem & tractabilem: ac tamen integré curatum fuisse. Idem refert Loysonam Roveroini Arelatensis filiam viro nuptam, cùm se uterũ ferre crederet, post sextum aut octavum mensem peperisse membranaceum globum, totum instar ovorum piscium, aquosis bullis rotundis tumidis, diluta sanie plenis ac fœtidis: é quibus dissectis aquosa & diluta sanies ad citrinum colorem inclinans & fœtens emanârit: ac tandem congruis assumptis remedijs convaluisse. Trallianus Medicus refert, mulierem quandam τῷ βυλίμῳ correptam, assumpta hiera vermem ejecisse, longitudine duodecim cubitorum, & eó amplius.

Obser. 9. lib. 1. obs.

10. Obser vat. lib. 1.

Li. 7. c. 6.

ue. Et si Plinio credimus, intra hominem tineæ tricenum pedum & aliquando pluriū longitudine nasci possunt. Ejusmodi certé vermes & membranas si nostrates ex homine excerni viderent: à Sagis opinor ortum trahere putarent. Sed quomodo, & à qua causa efficiente, ex quáve materia naturali sint facta ista, & in alijs fieri queant, copiosé Valleriola interpretatur. Nempe ex pituita putrida humida, & sequaci, qualis sæpè copiosa in intestinis ex loci natura coacervatur. Ubi efficitur, ut pro varia nativi caloris in hanc pituitam actione, variæ quoq; gignantur in intestinis rerũ formæ. Si scilicet contingit, ita contemperari materiam subjectam, ut formæ animantis capax esse possit, animal ex ea à natura genitrice potente procreatur: si vero ob putredinem nimiam inepta sit materia, & animationi minimé idonea, efficit nihilominus natura quod potest, & pro vivẽtibus vermibus membranas inanimatas producit. Huc accedit quod Galenus experientia edoctus verè disserit, non tantùm illa, de quibus dixi, corpora, in ventre & intestinis

Li. 9. nat. hist. c. 15.

Li. de tumor. pr. nat.

hominum naturali modo oriri posse, sed etiam in abscessibus quarumcunq; partium, præsertim veró in cruribus varias corporum solidorũ species reperiri. Inciſi, inquit, abscessus istos intelligẽs, omnimodam speciem humidorum ac solidorum corporum intus habere conspiciuntur: & non raró etiam animantia in ipsis reperta sunt, omnibus feré quæ ex putredine nascuntur similima. Præterea & unguibus, pilis, ossibus, carbonibus, arenis, lignis, limo, fæci, amurcæ, & alijs similia corpora in abscessibus hoc modo generantur, ut idem Galenus expressé docet: si scilicet substrata in spacio abscessuum vacuo materia diutius hærens, varias alterationes suscipit. Quis igitur tam rudis & phisiologiæ imperitus foret, ut si tale quidpiam in hominibus aliquando deprehendat, absq; alijs certis causis, Sagarum artificio protinus adscribere velit? Judicium hoc erit hominũ potentiam virtutemq; naturæ ignorantium. Et hæc de mirabilibus naturæ facultatibus, operibus, effectis, in generatione, mixtione, alterationeq; rerum, & inprimis quidem animãtium: quæ

Secũ. ad Glauc. cap. 6.

si Ma-

si Magia cognoscat, facilé etiam imitari potest. E quibus universis explorare & intelligere licet errorem eorum, qui quidvis indifferenter & temeré Sagis tribuere solent. Nec tamen idcirco statuendum, Sagas hæc aliquando etiam facere non posse.

De potentia & operibus Cacodæmonum.

AD eos igitur deinceps sigillatim progrediemur, qui in Ecclesiarum suggestis & alibi ex superstitione potius quàm veræ religionis æmulatione clamitantes alijs persuadere volũt: Sagas nihil omninò eorum, quorum arguuntur, malorum efficere posse: quod ipsarum naturæ per se impossibile sit, quod à nemine, neq; à Satana etiam, addiscere artem ejusmodi queãt, quodq; vel Satanas ipse nihil hominibus incommodare, aut non omnia quæ velit, incommoda efficere valeat. His enim argumentis proposita quæstio de viribus & effectis Sagarum à pluribus disceptata disputataq; fuit. Primùm scilicet testimonia sacrarum litera-

rum proferuntur, velut argumenta irrefutabilia. Essent quidem talia, si non vitiosè in alienum sensum torquerentur, & minus
Matt. 10. rectè explicarentur. Christus ait: Nónne duo passeres uno asse veneunt? Et unus ex illis non cadet super terram sine Patre vestro. Item: Capilli capitis vestri omnes numerati sunt. Nolite ergo timere: Multis enim passeribus vos meliores estis. Argumenta hæc sunt à comparatis minoribus, quasi diceretur: Nemo hominem ullum lædere, aut ulli incommodare absq; permissione Dei poterit: à duobus minoribus, 1. quia nec passeres, animantia ex volatilium numero minutissima, absq; illa in terram cadere aut lædi possunt. 2. quia omnes etiam capilli minutissimi tenuissimiq; numerati sunt: res scilicet quæ est corpore seu vita hominis longè inferior atq; contemptior. Et
Psal. 34. Regius Psalmista Davides ait: Custodit Dominus omnia ossa eorum: unum ex his non conteretur. Ex his, inquam, & pluribus alijs infertur ab hominibus nimium scilicet religiosis Dæmonem malignum cum suis administris Sagis, nihil prorsus posse nocere

alijs

alijs hominibus. At veró proposita quæstio cum adductis argumentis syllogisticé disponatur, & melius consequentia perpẽdetur, judiciumq́ rectius extruetur. Nempe syllogismus connexus formetur ejusmodi: Si protector noster Deus Jehova est, ut ne capillus quidem absq́ ejus permissu & voluntate de capite nostro decidat, malus spiritus ossa nostra non conteret, hoc est, nihil unquam nobis nocebit. Atqui prius: Igitur & posterius. Assumptio quidem hujus antè demonstrata est. At veró propositionis connexio si dextré examinetur, minimè necessaria est, minimeq́ legitima. Nequaquam enim sequitur ilicó: si absq́ Dei permissione Satan nullam possit hominibus inferre noxam: eum nullam habere unquam nocendi potestatem, nihilq́ quod mortalibus pernitiosum sit, efficere unquam posse. Sed hoc potius innuitur divinis istis pronunciatis: Quamvis callidissimus sit ille spiritus, de quo loquimur, & artifex vaferrimus, solertissimus, adeoq́ rex mũdi potentissimus, omniumq́ in tota universitate eruditorum eruditissimus, cunctarumq́ rerum quas

præter creatorem ullis creaturis noviſſe datum eſt, ſcientiſſimus expertiſſimusq; : nihil tamen unquam eum vel ad digiti longitudinem latitudinémve operari, agere, efficere poſſe, ſine Patre cæleſti, aut non permittente Deo patre omnipotente: quin Deus, inquam, hoc ipſum velit atq; permittat. Præpotens nimirum ſpiritus eſt tantæ virtutis tantiq; roboris, ut vel uno momento integram hanc mundi machinam perfringere & diſjicere queat. Multipotens inquam eſt, ſed non omnipotens: ideoq; nihil eorum quæ novit, aut quæ & quando velit, in actum deducere poteſt, neq; etiam paſſerculum, ut oſtenſum eſt, tam minutam & debilem beſtiolam perimere, niſi tum demũ ſi Deus illi cõceſſerit. Et hoc eſt quod Joannes in Apocalypſi refert, ſe vidiſſe angelum deſcendentem de cælo, habentem clavem abyſſi, & catenam magnam, qua apprehenderit Draconem ſerpentem antiquum, qui eſt Diabolus & Satanas, & ligaverit eum, &c. Catenis videlicet conſtrictus tenetur diabolus, & portas abyſſi aut inferorum ipſemet aperire nequit, niſi angelus de cælo veniens

Apoc. 20.

niens clavem adferat, eiq; Deo jubente aperiat. Non igitur potentia ista Satanæ, de qua dictum est, negatur in præcedentibus sacrarum literarum dictis: sed potius arguitur eum plurimarum rerum potentiarumq;, quas nemo mortalium ciere aut exerere novit, autorem esse, nec tamen eas nisi Deo volente præstare. Cur verò, inquies, Deus hæc omnia sinit, ut in perniciem homines adducãtur? An Deus malorum autor est? Absit hoc ab hominibus dicere. Permittit, inquam, illi hæc omnia, tum ad puniendum scelera peccataq; impiorum: tum ad explorandam melius constantiam & perseverationem piorum hominum in fide & vera dilectione: aliasq; ob causas, quas prolixè Theologi persequuntur & docent. Et Ierem. 3. *hoc est quod à Propheta Ieremia dicitur: Non est malum in civitate, quod non sit à domino. Universæ calamitates, adversitates, pericula & mala quælibet à Deo humano generi propter peccata à Deo immittuntur. Væ tamen homini qui mala fecerit, secundum illud Christi: Necesse est ut veniant offendicula: veruntamen væ homini* Matt. 18.

per quem offendiculum venit. Utrum ergò quæsiverit aliquis ulterius, Diabolus tam malus est in potentia, & in malitia sua tam potens: Quare igitur Moyses significavit Deum omnia fecisse ut essent bona? & angelos omnes creasse bonos? An Dæmonẽ quoq; condidit & fecit malum? Minimè. Natura siquidem hujus bona primùm, illustris & sancta fuit, cœlesti fulgore coruscans. Sed cum spontaneo motu & propria liberaq; voluntate confestim à Deo suo descisceret: aliam eo ipso naturam assumpsit, & alius planè factus est. Ne autem intelligas Evvichi, dum hæc dico, eum non manisisse substãtiam angelicam, spiritualem, incorporatam & intractabilem. Cum proinde hanc defectionis suæ ob causã se æternis ignibus torrendum & discrutiandũ esse videret: tum Deo creatori suo, tum eunctis ejus creaturis permanentem gratiam perpetuò invidens, nihil non cogitavit, ac tentavit, quod ad Dei contemptum, & hominum discrimen facere videretur. Spiritus itaq; factus est iniquitatis, omnia sua ad extremam mortalium pernitiem dirigens, adeoq;, ut Bul-

lingerus

lingerus Theologus ait, ſui ipſius non amans. Tanta eius in homines eſt rabies, tanta ſævitia, ut niſi à Deo vero compeſceretur, omnia quæ illi inſerviunt, vel in momento perderet, aſſerente Petro Martyre. Bulling. decad. 4. ſerm. 9. In Com. *Unde etiam rectè Abadon, id eſt, vaſtator vel perditor, à divo Ioanne nominatur in Apocalypſi. Abad enim perdere ſignificat. Idem Aſmodæus, perditor cõiugij,* der Eheteuffel *ſimiliter à perdendo, à Samad, id eſt delevit. Eodemq; plané ſenſu Leviathan vocatur, quod in gentes procellas & fluctus variarum tentationum in hoc mundo ſuſcitet. Leuiathan enim propriè vaſtus eſt in mari cetus, ut David in Pſal. innuit. De hoc divus Ioannes inquit: Væ illis qui in terris habitant, & in mari. Diabolus enim deſcẽdit ad vos maximo furore æſtuans, quia novit temporis ſui anguſtiam. Et Apoſtolus Paulus inquit: in aëre volitant mali dæmones, ſicuti cornices, & ſpicula ſua jaculantur inter vos abſq; intermiſſione: Unde vox Beëlzebub orta eſt, quæ magiſtrum ſignificat muſcarum. Beël enim quilibet præfectus ſeu Magiſter eſt, Zebul Muſca eſt,*

Epiſt. ad Ro. ca. 9. Apoc. 9. Tob. 3. Eſa. 27. Job. 40. Pſal. 74. Apo. 12. Matt. 12. Marc. 3. Luc. 11.

quod instar muscarum plurimi semper nos circumvolitent. Et hinc quoq; puta ob multitudinem, frequentia eorum seu societas legio dicitur. Belial autem vocatur, id est spiritus sine jugo, quod à Deo deficiens neminem alium metuat, neq; ullius imperium potestatemq; reformidet. Ingens igitur vis atq; potentia est Satanæ in efficiendis malis. Et nihil tamen eorum, ut Augustinus elegantissimè loquitur, fit, nisi omnipotens Deus fieri velit, vel per se faciendo, vel ut fiat sinendo. Error itaq; gravissimus est eorũ, qui asserere non verẽtur, Cacodæmones nulla ratione mortalibus incommodare posse. Ecquid enim aliud doctores ejusmodi moliuntur? ecquid faciunt? nisi ut securos reddant homines dormitantes, & geniorum malorum astutias nihili omninò pendentes? contra admonitionem Joannis, ubi ait: Datum est illi bestiæ bellum facere cum Sanctis, & vincere eos: & data est potestas in omnem tribum, & populum, & linguam, & gentem. Et hæc de factis, operibusq; Cacodæmonum, deq; potentia eorum, & nocendi cupiditate. Atqui facilè est, inquies, ista

Marc. 5. Luc. 8.

2. Cor. 6.

August. in Enchir.

Apo. 13.

ista omnia intelligere. Unde autē, & quænam qualiaq; Sagarum, de quibus hic potissimum disceptatur, effecta sunt? An istæ etiam rerum, quarum arguuntur, causæ effectrices sunt? Intellectum quidem est admirandam potestatem Satanæ & ejus quoq; angelis tribui. Quid verò Magi & in mulierum scilicet Magicarum societate Sagæ possunt efficere? & unde didicerunt? Hoc enim est quod inprimis cognoscere placet. De his igitur inquam effectis seorsim deinceps, quæ necessaria fuerint, contemplabimur: ut manifestetur quàm multa possint Sagæ alijs hominibus impossibilia producere, & quàm multa & enormia peccata committant.

De effectis Sagarum plenius in genere.

EX numero proinde Magorum, multi (quæ natura hominū est) arte sua laudatissima utilissimaq; abuti denuò ceperūt. Pejores enim instigante Satana facti, finem artis suæ inordinatum, illicitum inutilemq;

ſibi propoſuerunt: in perniciem tantummodò aliorum, rerum naturalium quam didicerant, mixtionem & compoſitionem uſurpantes. Quamobrem & Deo & hominibus tandem ars illorum inviſa facta eſt: multis etiam in locis ſacrarum literarum prohibita: adeò ut quantò major ejus abuſus cœperit, tantò quoq; odioſum magis nomen Magiæ factum ſit. Vocant hanc Magiæ ſpeciem ad diſtinctionem prioris præternaturalem, illicitam, &c. Et hujus periti nominantur vulgò à diverſitate effectorum malefici, venefici, nigromãtici, præſtigiatores, aliÿſq; nominibus pluribus. Malefici frequenter appellantur à Moyſe in Exodo & alibi, ut Brentius in commentar. annotat: Quos, inquiens, ſcriptura maleficos vocat, hi fuerũt AEgyptiorum philoſophi, ſacerdotes, & quos vocant ſpirituales. Nempe malefici nominantur non à ſcientia, ſed potius à malo & pernitioſo artis ſuæ uſu. Tales Magi fuerunt, qui, ut textus Bibliorum refert, per incantationes ſuas etiam illa miracula fecerunt, quæ Moyſes & Aaron Pharaoni antè feciſſent. Aquas enim Moyſes, ut hiſto-

Moyſes cap. 8.

ria

ria teſtatur, in ſanguinem vertit: at verterunt & ipſi. Fecit Moyſes ranas: fecerunt & ipſi. Virgas mutavit in ſerpentes: mutârunt etiam illi ipſi Pharaonis Magi. Quod verò illoꝝ ũ opera & factitia producta animantia non tam diu vixerint & duraverint, ſicuti ranæ & ſerpentes Moyſis, id ſingulari factum fuit Dei nutu, ut ſignificaretur fortiorem eſſe & potentiorem Deum Moyſis & Aaronis, eo ipſo, cujus ductu & virtute adjuti Pharaonis Magi artem ſuam in malum finem exercebant. Uterq; enim iſte, majeſtatem, gloriam & prædicationem Dei veri ſpectabat. Hi verò Magi, benevolentiam Pharaonis, & nominum ſuorum laudem celebritatemq; quærebant. Ex horum quoq; numero fuit Simon Magus ille magnus, cujus ars tum alibi, tum in Actis Apoſtolorum deſcribitur, cap. 8. Scientia hujus fuit inſignis, cui omnes, ut Euãgeliſtæ verba ſonant, auſcultarent, dicentes eum eſſe virtutem Dei magnam: tantaq; ob eam autoritas, ut hoc ſciens vel ſeipſum haud erubuerit magnum appellare. Fuit ex eorundem ſocietate olim Zoroaſtres, quem,

quòd miracula & prodigia plurima ederet, Græci, cum quibus vixit, inventorem & principem Magiæ nominârunt. Plato Magiam ejus divinum Dei cultum vocat. Et inter alios deniq; Mahometh ille Turcicus, qui Magiæ usu & exercitatione tantam sibi laudem, tantumq; nominis splendorem comparavit, ut cum bubulcus antè fuisset, postmodùm Rex eligeretur, ac tandem pro Deo coleretur. Alij insuper plurimi celebratissimiq; Magi fuerunt, quorum quidem ars culpari non potuisset, nisi ea in contumeliam majestatis divinæ, & in detrimentum proximi usi essent. Quantò scilicet detcrior mundus factus est, & Satanas sævitiam quoq; suam in posterioribus seculis majorem exercuit: tantò magis ejusmodi hominum numerus crevit. Ex infimo autem genere illorum esse putamus, qui nunc etiam venefici, & in fœmineo inprimis sexu, Sagæ, lamiæ, striges appellantur. Et hoc genus hominum est longè deterrimum, qui nulla etiam rerum naturalium scientia imbuti, immediatè à Diabolo hanc artem addiscere non verentur, qui cum sua virtute

Plato in Alcib.

& pro-

& proprio artificio alijs noxam inferre nequeant, à Deo Opt. Max. deficientes, peregrinum administratorem & coadiutorem eligunt rerum suarum perficiendarum. Et plurimi quidem hoc faciunt non imprudentes, aut ex errore ab alijs persuasi, sed suapte sponte lubentes volentes, præcedente deliberatione. Satanas deinde spiritus ab initio malus, pravas illorum cogitationes percipiens, tantó magis & vehementius absq; omni intermissione eos ad id quod expetunt, aggrediendū impellit, quantó majore humanorum periculorum desiderio flagrat. Ipsi proinde consortio & societate gaudentes, quoscunq; modò possunt, ad se allicere studeant, ut vel filios proprios filiásve id quod didicerunt, doceant, eorumq; animas & corpora præceptori atq; amico suo Satanæ devoveant. Cur autem major in hoc genere mulierum frequentia reperiatur: ratio in promptu facilis est. Quò enim imbecillior hominum natura est: quò animus, ut plerunq; mulierum est, ad nocendum paratior: eò securior est, eoq; facilius atque citius à Satana ab una sententia ad aliam, &

à bono ad malum pertrahi, adeóq; seduci, falli, decipi potest. Sagæ igitur vel sponte, vel ab amico suo persuasæ, familiaritatem cum eo, consuetudinemq; ineunt: & oblato, pro pignore, suo sanguine, pollicentur se fideles ejus in omnibus, quæ unquam ipse possit machinari, & humano generi inferre, periculis fore ministras. O scelus sceleſtissimum! O familiaritatem execrãdam, si modò hoc nomine appellanda sit. O excæcatam & perditissimã hominum ejusmodi naturam, qui ei totos se tradũt, ac dedunt, quem universi pariter manifestum & exploratum habemus, infestissimum humani generis hostem esse. Cur, quæso, & quem in finem pactum aliquod cum eo fœdusvé ineunt? Quam ob causam illi tantũ fidei tribuunt, ut persuadeat eis se constantem & benevolum fore amicum, ijsq; in re omni benè facturum esse? O callidam Satanæ calliditatem, & nunquam satis admirandam astutiam, qui ad pleniorem pacti fidem, pignus aliquod aliámve obligationem exigere audet. Natura hominum ejusmodi, jam antè satis deperdita, qualem μελαμόρφωσιν patiatur,

tur, quàm multis modis corrumpatur, omnes oratores haud ſufficienter declamitare poſſunt. Et quid multis? Mens & voluntas in ijs planè diabolica eſt. Quippe quæ nihil niſi quod vehementer, quem dominum & patronum ſuum agnoſcunt, Satanæ placet, quod inutile, quod malum & impium eſt, cogitant & moliuntur: quæ nullis rebus & actionibus tantoperè ſtudent, quàm ut omnium ſceleſtiſſimorum artificiorum genere imbuantur, quibus nihil non alijs hominibus pernitioſum efficere valeant. At quænam, aliquis quæſiverit, muliercularum iſtarum efficientia eſt? Utrum etiam quod volunt & cupiunt, per ſe præſtant? An verò poſt pactum cum Satana fœdus magis magisq; obcæcatæ, imaginantur ſolummodò ſuis viribus fieri & produci ea; quæ tamen ille Satanas potius per eas efficit? Non tertè. Non ſunt hæ, crede mihi, tantum opiniones, aut meræ perpetuò imaginationes. Eſſe inſignem veneficorum veneficarumq; & haud exiguam potentiam: præter ſuperiora teſtimonia de Magis AEgyptiacis apud Pharaonem, & de Simone Mago, non

tam ex prophanorum ſcriptorum, quàm ex ſacrorum bibliorum monumentis ſatis abundè demonſtrabitur. Primum itaq; ut ab antiquioribus exordiar, Hippocrates Cous Medicus omnium qui ad nos hodie extant, ſcriptor antiquiſſimus, ſuis etiã temporibus incantatores, ejuſmodi & incantatrices, Græcè Μάγους, *&* ἀγύρτας *vocatos, eorumq; virtutes cognovit, qui tum alijs rebus efficiendis, tum morbis quoq; curandis occupati fuerint. Et tamen ipſe, quod in Ethnico homine mirum ſit, admonet, morbos incantamentis non eſſe curandos: deſpiciens nimirum Magiam illicitam. Plato etiam vim quandam veneficis tribuit, ubi vires incantationis ſequentibus verbis deſcribit: Præſtigiatores & vates perſuadent hominibus vim ſibi eſſe, quæ ſacrificijs & incantationibus ſuppeditetur, ut ſi vel injuſtè quid factum ſit à quopiam, aut majoribus ipſius, medeantur & expurgent illud per oblectamenta & feſtivitates: & ſi quis inimicum aliquẽ lædere velit, ut cum parvo ſumptu juſtum ſimul ac injuſtum lædat, incantationibus quibuſdam & vinculis, veluti*

In extremit. lib. de morbo ſacro. Item de corde & alibi.

Dialo. 2. de Rep.

veluti dicunt, inducentes Deos ut ſibi inſerviant. Et his, inquit, ſermonibus ſuis Poëtas teſtes adducunt. Et paulò poſt: Librorum magnum cumulũ proferunt Muſæi & Orphei, Lunæ & Muſarũ nepotum, ſecundum quos Deorum imagines circumferunt: perſuadentes non ſolùm idiotis, ſed etiam civitatibus, quod exolutiones & purificationes iniuſtè factorum per ſacrificia & ludorum oblectamenta viventibus contingant. Hæc Plato: ubi oſtendit, præſtigiatores illos artem promiſiſſe, qua Deos ipſos etiam cogere & alijs nocere poſſint. Alibi quoq; indicat, Magos carminibus ſuis immortalitatem corporibus pollicitos fuiſſe. Mira ſanè hæc eſſet verborum & optanda potentia. Et hanc ipſam Socrates ait, ſe didiciſſe à Thracenſi quodam Medico Zamolxidis ſectatore. Plato autem ipſe incantationem Magicam definit: orationem compoſitam ex vi à Deo infuſa, & rationibus ex philoſophia comparatis: innuens incantationem Magicam eſſe divinam philoſophiam. Qua Magia Phœbus primò, deinde Pythagorici morbos ab animo & cor-

Orph. ante Chriſtũ annis plus minus 1270.

Plato in Charm.

pore mirabiliter expulerint. De artis quoq; incantandi efficacia, leges teſtantur duodecim Tabularū antiquiſsimæ: effecta tamen ejus omninò vetantes: de quibus deinceps ſeorſim videbimus. Plutarchus inſuper Sagarū meminit, lib. de vita philoſophorum, dirarum nomine. Item Cicero, ubi refert: Craſſo nihil boni accidiſſe, dirarum obnunciatione neglecta. E quibus intelligitur, veteribus quoq; & priſcis hominibus execrationes quaſdam in uſu fuiſſe, quarum ad perdendum eos quos vellent, magna vis foret. Verùm leviores forſan hæ probationes videbuntur. Videamus igitur divinorum interpretum teſtimonia. Et res erit longè clarior. Lutherus Organon prædicationis verbi divini in hiſce noviſsimis ſeculis electiſsimum, expreſsè aſſerit & teſtatur: eſſe aliquid revera faſcinum Magorum, & poſſe fieri illud, & veneficia. Sed ad plenioremfidem, verba ejus ſubjiciemus. Negari, inquit, haud poteſt, quin Diabolus vivat, imò regnet in toto mundo. Faſcinum autem & veneficium ſunt opera diaboli, quibus non ſolùm nocet hominibus, ſed permittēte

Pl. in vita Craſsi

In li. 1. de divin.

Luth. in Comm. Epiſt. ad Gal. ca. 3.

Deo,

Deo, quandoq; etiam occîdit. Sumus aũt nos omnes corporibus & rebus ſubjecti diabolo, & hoſpites ſumus in mundo, cujus ipſe princeps & Deus eſt. Ideò panis quem edimus, potus quem bibimus, veſtes quibus utimur, imò aër & totum quo vivimus in carne, ſub ipſius imperio eſt. Potẽſt igitur per ſuas veneficas nocere pueris, vel angustia cordis: vel excæcare, vel furari, vel in totum auferre puerum, ſeq; in locum ablati pueri in cunas collocare. Ego audivi talem puerum fuiſſe in Saxonia, qui ſuxit quinq; mulieres, & tamen non potuit expleri. Sed idem potẽſt in ſenibus. Item in ijſdem comment. Me puero, inquit, multæ erant veneficæ, quæ pecora & homines, præcipuè pueros incantabant: item nocebant ſegetibus per tempeſtates & grandines, quas ſuis veneficijs excitabant. Hæc Lutherus: à quibus evidenter elucet, quantam potentiam, quantamq; facultatem veneficis adſcribat: intellige ſcilicet, ſi Deus illis conceſſerit. Luth. in Com. ca. 3. ad Gal.

Similiter Sarcerius in explicatione Actor. Apoſt. de Simone Mago, Homines, inquit, Magica arte ex inſtinctu Satanæ & coope- Sarce. in Com. ca. 8. Actor.

ratione aliquid posse non dubito. Est enim diabolus efficax in incredulis, id est, nihil non potest in incredulis, etiam ut signa & prodigia in illis operetur, quibus confirmet impios in sua impietate: id quod docet exemplum hoc de Simone, & illud exuscitati à Magica muliere Samuelis. Et paulò post: Non est impotens neque inefficax ars Magica, verùm potens & efficax. Præterea etiam copiosè de his disserit Brentius in ejusdem loci interpretatione. Elegans est & Petri Martyris hac de re doctrina. Copiosissimè autem de potentia Sagarum Bullingerus docet, Magiam & Magiæ species eruditissimè describens. Sed quid hominum vel prophanorum, vel etiam sacrorũ pronunciatis, quorum testimonia in dubium vocari possint, rem totam demonstrare pergo? Scrutemur potius sacras literas, & Dei ipsius, quæ in illis nobis describuntur videamus elogia. Deus enim Jehova in plurimis sacræ scripturæ locis vim & potestatem artis Magicæ & veneficorum hominum nobis aperit & ostendit: prohibens juxta, ne ejus studio nos unquam dedere cogitemus.

1. Reg. 28.

Brét homil. 35. in cap. 8. Actor.

Martyr in loc. com.

Primùm

Primùm namq;, ut omittam leges illas de interficiendis Magis & Maleficis, quas deinceps ſuo in loco ſeorſim videbimus: expreſsè Dominus ait: Si quis Propheta fecerit Deut. 8. *ſigna & portenta, & velit te abducere ad Deos alienos: non parces illi: manus tua erit ſuper eum. Et clarius: Ne invenitor in te utens divinationibus planetarius aut conjector, aut præſtigiator: item utens incantatione, aut requirens Pythonem, aut ariolus, aut necromantes. En ámabo, manifeſté in his legibus ars Magorum omnesq; eius ſpecies illicitæ prohibentur. Cur autem leges iſtæ à Deo latæ eſſent? & in quem, quæſo, finem? niſi certò illi conſtitiſſet eſſe Magos, eſſe veneficos, aut incantatores, eosq; arte ſua plurimũ efficere poſſe. Cur vetaret Deus quidpiam addiſcere, ſi nemo eſſet, qui illud doceret, aut etiam noviſſet exercere? Mirum ſanè hoc foret. Leges nullæ feruntur niſi de rebus, quæ ſunt, & quæ ſolent inter homines evenire. Davides quoq; Pſalmiſta* Pſalm. 58 *Regius: venenum, inquit, eorum (incantatores intelligens) ſimile eſt veneno ſerpentis, velut aſpidis ſurdæ obturantis aures ſu-*

as, quæ non exaudit vocem muſitantium, ſeu carminibus ſuis eam incantantium, nec veneſici incantantis quantumvis ſapienter. Ubi *dilucidè improbat Propheta incantationem, & ſtudium enunciandi carmina ad incantandum. Verbis enim ijs ipſis*

Deut. 18. *utitur, quæ ponuntur in Deuter. De eadem*
Matth. 7. & 24. *quæſtione & Chriſtus ſuo ipſius ore: Venient, ait, Pſeudoprophetæ & Pſeudochriſti, & dabunt ſigna magna & prodigia, ut in errorem inducantur etiam, ſi fieri poſſit, electi. Certè ſi nulla extarent alia propoſitæ quæſtionis argumenta ſive teſtimonia, hoc unum puto ſatis validū atq; robuſtum foret ad arguendum inſignem Magorum virtutem. Tanta, inquit Chriſtus, eſt illorum potentia, ut miraculis ſuis atq; portentis quod velint, vel electis perſuadere queant. Attamen plenioris demonſtrationis gratia huc etiam referre licet, id quod Apo-*

2. Theſſ. 2. *ſtolus Paulus aſſerit: Cujus, inquiens, adventus eſt ſecundum operationem Satanæ, cum omni potentia, & ſignis, & prodigijs mendacibus. Attendite, quæſo, cum omni, inquit, potentia, & ſignis mēdacibus: mendacia*

dacia ſigna appellans, non quòd phantaſtica ſint, & falſa, aut verè non apparentia, ſed argumento efficientis, quatenus ab autore mendace proveniunt: vel potius à fine, quia fiunt ut hominibus imponant: eò quod impij ſemper digni ſint qui decipiantur, nimirum ut divus Apoſtolus addit, quia dilectionem veritatis nō receperunt. Addo & Apocalypſeos teſtimonium illud: Data eſt beſtiæ poteſtas, &c. data eſt ei poteſtas in omnem tribum, & linguam, & gentem. Et hæc de veneficorum veneficarumq; mulierum potentia ſufficere puto. Quid enim opus eſt pluribus? cum ex præcedentibus ſatis ſuperq; percipi potuerit, ingentem eſſe non tantùm Satanæ, verū etiam miniſtrarum ejus Sagarum, quæ illi privato contractu ſeſe obſtrinxerunt, poteſtatem: adeoq; plurima ab ipſis fieri quæ verè ſunt, id quod videntur, quemadmodum ſerpentes, quos antè à Magis AEgyptiacis productos aut factos eſſe diximus, veros fuiſſe ſerpentes, cum divo Auguſtino Petrus Martyr expreſsè fatetur. Et quod in pediculis faciendis defecerunt, manifeſto indicio eſſe, antea

Apoc. 13.

P. Mart. in locis comm.

rem illorũ haud præstigijs fuisse peractam, & Magos cum Moyse rebus ipsis verè formatis, non præstigijs, illucusq; contendisse. Concluſivè igitur dico, & iterum iterumq; dico: Plurima Magi verè faciunt, & res ipsas verè & substantialiter sæpè exhibent oculis hominum conspiciendas. Non præstigiæ solum, non ludibria, non apparentiæ, aut φαντάσματα sunt ea omnia, quæ Sagæ faciunt. Quamobrem denique demirari satis nequeo tuam, ut ad te revertar, Euvichi, sententiam, qua asseris, Sagas ne minimam quidem partem eorum, quæ illis tribuũtur, facere, non quòd non velint, sed quòd non possint: adeoq; ea tantùm vel diaboli ope eas posse, ad quæ natura sua idoneæ sint. Qualis qualis illarum natura sit, nihil tamen mirum est, si Satanas ea, quæ potest, ad interitum hominum efficere illas quoq; doceat: & vicissim illas, si instituantur & doceantur, omnia ejusmodi addiscere, & in usum deducere posse, haud est absurdum credere. Quòd si verò nihilominus aliquis nimium corde induratus, & mente stupidus judex præcedentibus, tum humanis, tum divinis

testimo-

teſtimoniorum argumentis firmiſſimis fidem adhibere nolit: cogitet is & perpendat, quid quotidiana, & manifeſtè ſenſibilis experientia de effectis eiuſmodi hominum ſæpiſſimè cum plurimorum periculo conteſtetur. Perpendatur inſuper ipſarũ Sagarum propria & incoacta liberrimaq́ de iſtis omnibus confeſsio. His tandem argumentis univerſis qui non mouebitur, eum non modò imperitum, ſtupidum, aut ſtolidum, ſed ſtolidiſſimum, ineptiſſimumq́ rectè dixerim.

De ſpecialibus nonnullis Sagarum effectis.

ADhuc generaliter de effectis, de potentia & viribus Sagarum dictum eſt: Sequitur preſsius aliquid de ſingularibus nõnullis illarum operibus. Fatentur etenim multi, eas licet plurima præſtare queant, non tamen efficere poſſe ſequentia. Sæpè enim vulgò quæſitum eſt. Primò, An Sagæ ſeu veneficæ mulieres adiumento & ope diaboli poſsint infantibus aliiſq́ hominibus morbos exhibitis quomodocunque venenis

inferre: utpote phthisin, membrorum stupo-rem & ariditatem, claudicationem, &c. Secundò quæritur: An possint per aërem quasi volitare, & per caminum extra ædes suas de loco ad locum alium transferri, ubi convivia & ludos varios celebrent. Tertiò: Utrum possint eædem in catorum seu felium, aliorumq; animantium formas à Satana vel seipsis transformari. Quartò: An cum Satana rem sive actionem veneream, ut ipsæ fateri solent, exercere queant. Quintò: Utrum efficere quoq; possint, ut mare naves, quas velint, absorbeat. Ac denique: Utrum pluvias, tonitrua, fulmina, ventos, aliasq; aëris tempestates, quibus noxam segetibus & hominibus ipsis inferant, ciere & producere valeant. De his igitur singulis quæstionibus proposito ordine deinceps in specie sententiam nostram aperiemus. Plerique quod equidem sciam, has propemodum universas negativè concludunt, à quorum partibus noster etiam stat Bremensis Ewichius. Arduæ quidem & graves quæstiones hæ videntur: attamen ut in sequētibus manifestabitur, ejusmodi sunt, quæ adhibita

ratione

ratione intelligi & decîdi poſsint. Prudenter itaq; conſiderandum & dijudicandum fuerit, quid de ſingulis verè ſtatuendum ſit, ne miſeræ mulieres eorum quæ minimè fecerint, arguantur.

An Sagæ corpora humana inquinamentis morborum contaminare, ranas aliosq; vermes in illis progignere poſſint, &c.

AD primam porrò quæſtionem quod attinet, ſæpiſsimè, proh dolor, experimur, inter alia quæ Magi committunt peccata haud infrequens eſſe homicidium: quando exhibitis clandeſtino venenis alios homines ita perdunt, ut ſi non protinus cõmuni hac luce privẽtur, longo tamen tempore ægroti decumbant. Hoc inquã eſt, quod frequentiſsimè ubiq; terrarũ cõtingere plurima exempla conteſtantur. Et ſunt quidem nihilominus, qui tale quidpiam fieri in hominũ vita

conſtanter pernegant: eò quod nec Satan, nec veneficus aliquis, in re ulla alijs nocere poſsit. Alij contrà aſſerunt, ſi omninò hoc ipſum eveniat, ejus cauſam efficientem eſſe non Sagas, ſed ſolum Satanam ſive ſpiritum malignum, qui illis illudendo perſuadeat, ut putent aut imaginentur ſolùm ſe id feciſſe, quod per diabolum alioquin effectū eſt. Atqui contraria horum ſententia firmiſsimis argumentis pluribus demonſtrari potest: quemadmodum de opinione eorum qui diabolum & ejus miniſtras arbitrantur nullam noxam inferre poſſe, jamante ſatis abundè diximus. Specialiter itaq; hoc in loco videdum de eo, quod ſanitati adeoq; ipſi vitæ hominum Satan ejusq; miniſtri officere queant. Quomodo verò, qua arte, quibus medijs hoc efficit? An immediatè, aut ſolo contactu inviſibiliter hoc præſtat? Hæc ut intelligantur, ſequentia diligenter obſervanda veniunt. Nempe dæmones ob inſignem ſuam totius univerſitatis ſcientiam, & plurimorum à condito inde mundo ſeculorum experientiam, initia rerum naturalium & ſemina optimè omnium cognoſce-

gnoſcere colligere & inter ſe componere, agentia videlicet ſive cauſas illarũ cum patientibus conjũgere & commiſcere norunt. Poſſunt itidem movere aliquid & alio impellere: & ſi velint aut ſi opus videatur, corpus alicujus animantis aſſumere & in hoc cum hominibus verſari queunt. Et hoc veriſſimũ eſſe, nemo arbitror ratione præditus negaverit. Naturæ enim totius ſcientiſſimus artifex, omnium quoq; inde ortarum rerum naturalium poſſibilem mixtionem, tranſmutationem, vires plerasq; & facultates perſpectas habet. Quid igitur è genere ſpeciem arguentibus mirum videatur: eum ſemina plantarum aut ipſas quoq; plantas earumq; partes, aliásve res venenoſas reſcire, & ſi velit contemperare poſſe, ut pharmacum inde conficiat hominũ corporibus lædendis & interficiẽdis idoneum? Quid quod & homines improbi, qui in Sagarum tamen aut Magorum ſocietate non ſunt, venenoſa pharmaca aut toxica philtraq; parare, eaq; ferculis ſeu poculis illorũ, quibus perniciem moliri cogitant, clandeſtinò injicere aut immiſcere queũt? Quem-

admodum experientia quotidiana teſtatur, amatores, qui illicito & ſcelerato juvencularum amore, & viciſſim flagrant, poma, pira & alia ejuſmodi aſſumpto veneno inficere, præparare, idq; ita illis intrudere, ut nullo apparente foramine aſſumentes minimè videant: & ſi non confeſtim moriantur, multos tamen annos lethaliter inde contabeſcentes decumbant. Quantò magis itaq; & facilius hoc Satanam præſtare putabimus, quem adventantem, & quod dictum eſt, inſidias vitæ noſtræ ſtruendo efficientẽ haud quaquam videmus. Haud temerè dixero, hanc illi omninò ſcientiam ineſſe, ut poſſit venena ex rerum naturalium corporibus extrahere, & ſibi conficere, hominumq; quibus velit, vel non cernentium ferculis poculisvé, ut anté dixi, commiſcere. Omnes ſiquidem callet artes, quas unquã homines ſcire aut addiſcere valuerunt: ut rectè Paracelſus philoſophatur. Et hæc omnia commodius efficit aſſumpta forma alterius hominis, quem ei, cui inſidias ſtruit, quotidiè familiarem eſſe perſpexit. Quid verò tantum de exhibitis & adminiſtratis

In Philo. magna.

niſtratis medicamentis loquor? Poteſt enim absq; illis etiam corpora hominum tabifica reddere, admovendo ſaltem ijs vel ſupponendo in locis, ubi potiſsimùm morantur, aut incedere ſolent, radices aliaq; pharmaca noxia, ut morbis ſæviſsimis inde corripiantur, ijsq; deinceps arte Medicorum ſæpè incurabilibus. Hæc contra te aſſero Euvichi: nec tamen idcirco Satanam ulla ratione, ut tu ſuſpicaris, numen omnipotens eſſe ſtatuo. Audi quid Theophraſtus ille Paracelſus dicat in hanc ſententiã: Eſt etiam, inquiens, in Sagarũ aſcendentibus alia venefica poteſtas, qua varios morbos, quos ex ordine recitare haud poſsibile foret, per ſua ſtramina, porcorum ſetas, oſſa, corium, fragmenta quorum vis, plumas, teſtarum fruſta, fuſorum cuſpides, abjecta ruptaq; linteola, ſpolia piſcium, & alia ſimilia, præter cutis aut loci, per quem intraverint indiciũ aliquod, corporibus hominum inferunt: ut idem fore videatur, ac ſi viſibili quodam impetu locus, in quem inviſibilis ejaculatio fuit impreſſa læderetur: quam ejaculationem deinceps infirmitas ſubſequitur naturalis, In tract. Philoſo. magnæ de maleficis, c. 11.

dolorq; intolerabilis, &c. Et si nullum rationis κριτήριον, nulla experientia, nullum denique ullius hominis literati testimonium, idipsum quoq; edoceret: solæ tamen literæ sacræ, quarum vel unicum pronunciatum dextrè, & nativo sensu intellectum, firmissimo verissimoq; argumento esse potest, expressis verbis evidentissimè id confirmant.

Job 2. Et quidem præter alia, omnium ore tritum illud Jobi: Ubi egressus Satan à cõspectu Jehovæ, percussit Jobũ ulcere pessimo à planta pedis usq; ad verticẽ eius? Annón hæc manifesta veraq; historia est? Annón sufficiens & satis validum hoc testimonium est, causæ efficientis eorum, de quibus hucusq; loquimur? Percussit eũ ulcere, inquit textus. Sive autem mediatè sumptis & usurpatis venenis, sive immediatè id fecerit, nihil omninò refert. Fecit enim, ut ex historia liquet. Et potuit arte sua hoc facere, adeoq; scivit se facere & præstare posse. Nisi enim hoc novisset: cur, quæso, ad DEUM abiisset rogatum, an ejus permissu sibi id licitum foret? aut cur, inquam, DEUS Jehova dixisset ad Satanam: Ecce in manu tua Jobus

esto:

esto: veruntamen vitam ejus serva. Quorsum, quæso, hæc verba? nisi ille manum, id est, potestatem habuisset Jobo nocendi, quomodocunq; vellet. Efficientiã igitur istam "
Satanæ haud malè tribuimus: sed voluntate, gubernatione, prædestinatione Dei Opt: "
Max: & judicis justissimi determinatam. "
Lictor scilicet Dei fuit Cacodæmon ille, qui nihil eorum quæ potuit, efficere ausus fuisset, nisi permisisset ei vel voluisset hocipsum Deus æternus. Et fecit tamen illud scilicet à Deo sibi permissum, ad explorãdam fidei in divo Jobo constantiam, ut ex contextu verborum evidenter apparet. Sed quid in re manifesta opus est pluribus? Delirus & amens sit, qui plura sacræ scripturæ testimonia in proposita quæstione requirit. Quorsum autem dilabor? Concesseris enim forsan Evvichi hæc omnia: Videlicet si quod vulgò Sagis adscribitur, homicidium perpetretur, ejus causam quidem efficientem esse Satanam: sed ipsas etiam Sagas tale quidpiam efficere, puto negaveris. Hoc enim inquies, multis impossibile videtur. At qua inquam fronte? Quidni & illis delicti ejusmodi aut

efficientiæ morborũ quorundam culpa imputaretur? Attẽde & intelliges facilè quid de hoc rectè ſentiendum veniat. Quodſi Sagis per ſe talis efficientia tribuenda non fuerit: ſequetur aut non velle eas aut non poſſe id, cujus inſimulantur. Sed neutrum horum eſſe, è ſequentibus liquidò patebit. Animus earũ & voluntas parata ſive proclivis ad nocendum ex eo probatur, quod omnibus ſtudeant, omnia diſcant, faciant, quæ ad extremam aliorum vergunt pernitiem: quod hanc maximè ob cauſam fœdus cum Cacodæmone feriant, ut doceantur ab eo hæc omnia reſcire, experiri, facere, operari, quæ aliorum vitæ noxia futura ſint. Atqui faciliora hæc ſunt, quàm quæ pleniorem demonſtrationem requirant. De poteſtate itidem earum, de qua tamen major controverſia eſt, minimè dubitandum eſſe cenſemus. Cum enim ſumma arte ſcientiaq; Cacodæmon unuſquisq; polleat: quid mirum ſi dicatur, eũ Sagas quoq; hanc ipſam artem docere: vel etiam confecta à ſeſe pharmaca, alimenta, philtra illis offerre aut exhibere poſſe, ut ipſæ poſtmodum ea ſubminiſtrent

alijs? Cur hoc minus verisimile, cur absurdum videatur. Quam verò ob rationem quod per se & sua arte potest, per adjuvantes seu administras causas efficit? Ratio est: ne illi soli tale effectum adscribatur, sed ut in Sagas quoq; ejus culpa transferatur: & inprimis quidem, ut hoc modo plures simul una eademq; operatione homines pereant, delinquentes nimirum venefici & alij ab ijs perditi. Quid si dicerem secundum physiologiæ fundamenta & rationes: non prorsus impossibile esse, aut ijs denegatum, quin per se ex singulari quadã industria, cognitione atq; peritia rerũ naturalium tale quidpiam addiscere valeant? Qui hoc negaverit, steriliorem, impotentiorem, imbecilliorem̃q; quàm sit, naturam esse putat. Amplissimus, uberrimus, fructuosissimusq; naturæ ager est. Tam multa, tam copiosa hujus merces est, tanta hujus dona, tantæq; virtutes sunt, ut à nemine unquam mortalium perfectè & absolutè inquiri, nedum cognosci queant. Omnis siquidem natura, sive substantia naturalis à Deo condita, ejusq; ratio, proprietas, virtus menti huma-

næ ad inquirendum ſubjecta eſt, ut elegan-
ter eruditeq; Paracelſus philoſophatur: ſed
non omnis ex æquo vel pari menſura omni-
bus. Deus ſiquidem ſecundum certam pro
placito ſuo menſuram unicuiq; largitur,
tùm alia dona, tùm ipſam quoq; ſcientiam.
Qua quantò magis quispiã abutitur, tan-
tò pejor habendus, tantoq; majore pœna di-
gnus eſt. Quamobrem & Magia quæ dicta
fuit naturalis, haud culpabilis eſſe poteſt, ſi
nihil mali inde oriatur. Taceo nunc, & non
pleniùs commendo, ſive etiam defendo il-
lorum opinionem, qui plantas aliasq; res
nonnullas annotant & deſcribunt, quæ vel
Spiritus ſive genios malignos fugare ſole-
ant. Sicuti præter alia de ſale Bodinus proli-
xè diſputat. Horum enim fides nunc penes
alios eſto. Sed de his etiam ſuprà copioſius.
Addo tantùm Paracelſi ſententiam, ubi do-
cet: nonnullas veneficas ab ipſo ortu ſeu na-
tivitate ſua tales eſſe vel fieri: quarum ſci-
licet, ut ipſe loquitur, aſcendens ſydus in
conceptione aut generatione ſit veneficum.
Et hoc veriſimile multis videtur: eò quod
plurimi ad furtum, ad rapinam, homicidi-
um &

Paracelſus.

Nõnullę veneficæ à natura tales.

um & alia ſcelerum flagitiorumq; genera committenda naſcuntur, niſi educatione aſſuefactioneq; ſapientiores facti aſtris dominentur. Quid enim hoc, quod dicitur, Sapiens dominabitur aſtris: aliud ſignificat, quàm ut credamus ingentem eſſe vim & facultatem eorum. Verùm ut ad propoſitum revertar: Sagæ quocunq; modo ex antè traditis ſuam artem didicerint: volunt & poſſunt aliorum corporibus varios morbos inferre. Poſſunt, inquam, ſi non aliunde, attamen à Satana imbutæ, inſtitutæ, edoctæ, hoc facere. Porrò ſi volunt quod poſſunt, & contra: quî, quæſo, & cur tam temerè quod de ijs auditur, phantaſticum omne cenſeremus? Accedit inſuper propria & ſpontanea ſæpe quam ſuo ore edunt confeſſio: ſicuti una ex crematis Lemgoviæ Sagis confeſſa eſt, ſe civem quendam, cuius tamen hîc nomen, quod incolis illius urbis ſatis notum ſit, reticeo, claudum feciſſe: & alia ibidem ſua voce teſtata eſt, ſe Conſulis uxorẽ primam, ſuppoſitis ædium illius limini rebus venenatis eò redegiſſe, ut eo ipſo die ægrotare incipiens, brevi pòſt vitam cum morte com-

mutârit. Quo argumento, quódnam aliud magis ratum firmumq; desiderari possit in ullis rebus pertractandis, nemo Logicus facilè dixerit. Exemplum addam quod ipse vidi & observavi: Fides enim ijs habenda, quæ experientiæ exemplis nobis ostenduntur. Hac ipsa præsentis anni 85. æstate, mulier venefica Waldeciæ comprehensa est, quæ in oppido ditionis Illustriss. Principissæ Barbaræ, comitissæ Waldecensis, &c. Beun vicini cujusdam sui famulæ radicem quandam in superiorem togæ, quam ei parare debuerat, partem duplicatam insuens effecerat, ut simulatq; illa famula vestem, quam dixi, indueret, ea ipsa protinus hora circa lumbos, quos extremitate sua vestis proximè tangebat, pessimè afficeretur, & confestim per totum corpus gravissimis cruciatibus torqueretur. Paucis insuper diebus pòst, ossa quoque instar majorum crassiorumq; dentium equinorum, & concham exiguam evomuit. Vidi ossa omnia, vidi concham, & ipse cultello quodam meo discidi & contudi: ut nunquam mihi persuaderi patiar, hanc oculorum fuisse obfuscationem. Unum adhuc

huc proferam teſtimonium, quod à fide digno viro mihi trãsmiſſum eſt anno, &c. 73. 14. Novembris. Stephanus, cognomento **Kalen** */ ex oppido* **Hollenſtedt** */ in ducatu Brunſuicenſi, à duobus affinibus ſuis veneficij accuſatus, inter cætera ſponte, & extra omnia vincula confeſſus eſt, ſe à prima ſua conjuge, quæ in urbe* **Katelberg** */ cum aliis Sagis concremata eſſet, artem veneno necandi homines didiciſſe: & poſtmodũ quando ſecundæ, cum qua tum temporis vixerat, iratus factus eſſet ob ſuſpicionem adulterii, venena quædam, quæ tamen hîc nominare non libet, pulveriſata commixtaq́ in puerperio ad enecandum eam exhibuiſſe. Item quod adjuvante ſe priore, quam dixi, conjuge, Martino cuidam* **Rhekopffs** *in Bacchanalibus ob diſcordiam & litem exortam, in calidæ cereviſiæ potu venenũ propinaverit, ut is intra octiduum mortuus fuerit. Similiter quod alium virum,* **Hans Nieſients** */ anno ante, veneno ex tribus, quæ etiam nominavit, animantibus præparato interfecerit. Adhæc liberè etiam faſſus eſt, ſe oleario cuidam ejus loci, quidpiam*

ex aliquot animantium venenoſorum partibus confectum, ante limina ædium projeciſſe, ut exiens ille extra eas protinus dolores ſenſerit, primò in ſuperiore brachio, ac deinde in reliquo corpore, quibus adhuc graviter torqueretur. Et juxtà medicamenta recenſuit alia, quæ antedictis morbis iterum mederi poſſent: quæ tamen omnia minimè hoc in loco deſcribẽda fuerũt. Quamobrem ſequente die 15 Novembris iterum absq; civilibus tamen quæſtionibus examinatus eſt: ubi præter alia dixit, quomodo ob cadentem in aquas pileum ſuum ibidemq; amiſſum Deo omnipotenti iratus, eumq; abnegans, Satanæ ſe dicârit, & hunc ad ſe accerſerit: ego, inquiens, tibi me totum dedam, tuaq; tutelæ me committam. Veni tu ad me Satana. Hic igitur vocantem audiens, quicquid ille modò voluit, fecit. Poſtmodùm die 20 ejuſdem menſis juſto judicio veneficus iſte concrematus eſt. O horrendam impietatem! O diabolicam Magiam, & alia plus quàm ineffabili pœna dignam! An proinde his auditis & cognitis, adhuc Euvichi, Sagarum efficientiam in præparandis

randis venenis, & interficiendis hominibus negare voles? Imprudens menteq; vesana, adeoq; impudenter impudens hoc feceris. Hæc enim communis natura est hominum vel sceleratissimorum, ut citius boni alicujus effectores se esse, quàm mali vel minimi autores, gloriari soleant. Quare igitur Magos ejusmodi & veneficos, & qua fronte insontes esse pronunciabimus? aut non putabimus hoc fecisse, quod sibi ipsis volentes libenter adscribunt. Si verò in fide hujus quæstionis ad φαντασίαν, imaginationem, præstigias & ludibria Satanæ cum Wiero Medico recurrere volueris, quod fascinentur & obfuscentur isti Magi à malo Spiritu ad confitendum ea, quæ tamen minimè perpetrârint: hujus refutationem ex antecedentibus satis abundè cognoscere poteris. At plenius tua verba videamus: Sagæ, inquis, nihil supra naturæ suæ vires « possunt, &c. Et paulò post: Propterea frustra « creduntur pharmaca certis præstigijs in- « cantata, quæ vel ore hausta, vel attracta o- « doratu lædant illos tantummodò quos ipsæ « velint, reliquis similiter usurpantibus ni- «

hil obſint, &c. Non eſſe in naturæ viribus, aut prorſus eſſe impoſſibile, hominem naturalia remedia ſive φάρμακα parare, quæ uſurpantibus illa incommodent: quis unquã, quæſo, mortalium aſſeruit, præter unum Euvichium? Hoc rectè commentum & λεγατολογία Euvichii: hoc παράδοξον nulla demonſtratione conſtabilitum appellabitur. Hoc enim ſi ſit, totius Medicinæ fundamenta labefactari corruereq; neceſſum erit. Eſt ſiquidem poſſibile multis. Ergo ſi aſſumpſeris, & Sagas eſſe homines, facilè quoq; evincetur, illas pharmaca ejuſmodi præparare poſſe. Quinimò Magis & Magicis mulieribus hoc tantò facilius erit, quantò melius à ſpiritu maligno rerum omnium peritiſſimo juvantur. Veruntamen repetitis diligenter antecedentibus abſq; gravamine, opinor, hoc dabis. Quod autẽ ſimul eodemq; modo aſſumentibus illa non pariter noceat: aut, ut tua verba ſonant, eos tantùm lædant quos ipſæ velint, alios ſimiliter uſurpantes non item: hoc inquis eſſe, quod nemo ſanæ mentis ſibi perſuaderi patiatur. At ego contra me exẽpla ſpecialia, quæ dicto tuo fidem faciant,

faciant, obſervare multa vix memini. Et tamen ſi fiat hoc, menti humanæ intellectu nequaquã difficile eſſe dico. Equidem enim indiſſolubilem, quem tu nodum cenſes, abſq; ulla tũ artis ullius, tũ pietatis jactura ſolvi poſſe arbitror. Et quidni? cum abſurdã hanc tuã ſententiam eſſe ex Philoſophia, Medicina, & media denig; Theologia demonſtrare queam. Annon enim phyſiologia tibi Ariſt. oſtendere potuit: agens nullum agere niſi in patiente benè diſpoſito ad recipiendum. Id ſi noviſti, intelligere quoq; debuiſti: ſi venenũ à Sagis homini alicui exhibitum, ſit lethale, et ab alio ſimiliter aſſumptũ, ei haud noceat: fieri hoc propter diverſam aſſumentiũ illud tõplexionem: quarum altera vincitur à veneno, altera verò illud ipſum vincit & extinguit. Quomodo ſæpiſſimè videmus unũ idemq; alimentũ à pluribus comeſtum, omnibus ex æquo cõmuniter non pdeſſe: et contra, non nocere. Cauſa nimirũ eſt diverſitas temperiei corporũ. Maritus quidam veneficus conjugi ſuæ puerperæ potionem propinavit veneno infectã, putans ſe illam interfecturum. At illa incolumis manſit. Venenũ ſiqdem illud, opinor, in corpus ejus pluribus

antè humoribus (quale puerperarum est) adhuc malè coinquinatis refertũ incidens, non tam citò in substantiam illius partium vires suas exerere potuit, atque in alterius corpore puriore. Idem enim & alios ijsdem suis Magicis pharmacis interemit. Hyoscyami semina minutissima si in majore quantitate assumantur, homini venena sunt & lethalia: Muribus autem longè imbecillioribus & minoribus animantibus, id quod ipse aliquoties observavi, alimenta sunt gratissima minimeq; noxia. Nempe quia diversa est ventriculi hominum & murium complexio, ideoq; actio etiam utriusque impar. Physica quoq; ratio hæc est: Dæmon celerrima sua agilitate & motione velocissima eo ipso momento, quo Sagæ porrigunt alicui medicamentum ut perdatur, veneno suo illud inficiens aliter præparat & afficit, atq; reliqua portio sit disposita, quam alius forte fortuna accepit. Non certè intelligo si hæc naturæ legibus seu etiam potentiæ sint contraria. Cur igitur hæc, Evvichi, cum tuis miraculosa esse putas, aut ceu impossibilia miraris? Utrum, quia potentiam illam natu-

naturæ neutiquam percepiſtis? ut hoc uno inſuper præter antecedentia ex Auguſtino comprobare placet. Miraculum, inquit ille, voco, quicquid arduũ aut inſolitum ſupra ſpem vel facultatem mirantis apparet. Attende, quæſo, verba illa, ſupra facultatem mirantis, *& quid velim, perpende. Idem alibi in hanc ſentẽtiam inquit: Non oportet moveri, cum Magicis artibus miracula fiunt, plerunq; ſimilia miraculis quæ fiunt per ſanctos Dei ſervos. Non oportet hæc mirari, quia omnia quæ viſibiliter fiũt, etiam per inferiores poteſtates aëris hujus, non abſurdè fieri poſſe creduntur. Si inſuper ad Medicæ artis, quam exercuiſti, praxin recurramus: Annón obſervaſti, peſtilentiæ ab aëre contagioſo originẽ trahentis venenum plurimos ſæpè, proh dolor, in uno eodemq; loco ſimul inficere, nec tamen omnes pariter interficere aut occidere? Quis verò illud venenum hoc modo præparat, ut uni noceat, alteri non abſit? Archeus ille dico in corpore hominum ſeu Iliaſter, ut à Paracelſo vocatur, naturæ artifex, aut ipſa natura rerum in eo diſpenſatrix optima. Annón*

Augu. de utilitate credẽdi ad Hon. cap. 16.

Libro 21. Sentent. ſent. 4.

denig, si Theologiæ fundamenta cognovisti Doctor Evvichi, liquêre tibi potuit, hoc arcanum & imperscrutabile Dei judicium esse, idq; justissimũ, quòd alij conserventur diutius in hac vita, alij citius perdantur. Judicis, inquam, hoc beneplacitum, hoc decretum judiciumq; est, qui Esau reprobavit, & Jacobum fratrem dilexit, antequam in utero matris uterq; conciperetur. Quocirca neq; Sagarũ pharmaca universis qui ea acceperint, mortem inferent. Viden' igitur Evvichi, quàm graviter in philosophiam, Medicinam, Theologiam, quarum tamen omnium scientiarum nomine concelebrari cupis, in proposita quæstione impegeris? Quicquid quicquid porrò copiosius disputetur, Sagis tamen efficientia hæc tribuenda est. Effecta videmus. Causam efficientem eorum Sagæ se esse profitẽtur. Quid igitur ulterius? Ais verò efficientiã istiusmodi non esse per se naturalẽ neq; voluntariam, sed solummodò instrumentariam, quæ nihil nisi Satana movente operetur? Quid tum verò postea? Et instrumenta omnia seu causæ, ut loquuntur, instrumentariæ, ab uni-

Mala. 1.
Rom. 9.

universis Logicis rectissimè inter alias efficientis causæ species connumerantur. Quod qui non fatetur, is Logicæ artis planè imperitus est, itemq; delirus & amens est. Sive igitur causam efficientem procreantem per se absolutè intellectā sive instrumentariam nominaveris: efficientiam tamen & vim efficiendi, ut tribuas illi, ex propositis argumentis necessum fuerit. Eapropter Ulricus *ille Molitor, quem tu, Evvichi, in definitione Sagarum citasti, haud malè concludit hoc modo: Ipsam scilicet Dei providentiam occulto suæ bonitatis judicio nocēdi quidem potestatem diabolo permisisse: neq; tamen eum hujusmodi potentiā amplius extendere posse, quàm à summo Deo concessum fuerit.*

An Sagæ scopis vel baculis insidentes, per aërem volitare possint.

Secūda quæstio de specialibus effectis Sagarum proposita fuit ejusmodi: An extra ædes suas per caminum aut per aërem volitare, & sic de loco ad locum alium possint

transferri, ubi convivia aliosq; ludos celebrent. Mirum enim hoc esse propemodum universis, adeoq; totum ex imaginatione & insomnijs nocturnis procedere videtur. Et quid ni mirum esset? Conditionem & artem se habere ac noviſse profitentur, qua baculis, furcilibus, palleis, scopis, & alijs ejusmodi insidentes per caminum evolent, prius perunctæ certis quibusdã unguentis, quæ solent enumerare, utpote cati alicujus aut lupi adipe, & lacte asinino, & nescio quibus alijs. Res hæc plena admirationis est: quapropter etiam diligentius, quid de proposita quæstione judicari concludiq; debeat, ex philosophiæ penetralibus in naturæ promptuario disquirendũ erit. Et hoc præsertim, quod plurimæ Sagæ non coactæ fateantur, se convivijs ejusmodi & choreis interfuisse, aliosq; ludos celebrasse, etiam in locis centena aliquot miliaria à suis ædibus, in quibus habitant, dissitis. Primum itaq; lubens equidem fateor, quod negare non possum, hanc hominum naturam esse immutabilẽ, ut in terris, non in aëre sublimiore incedant, ambulent, equitent, &

quomo-

quomodolibet aliter moveãtur. Secundum quod ſingula animantium genera certum aliquem locum certámve ſedem, in prima rerum creatione à Deo acceperunt: aves, ut in aëre volitent: piſces, ut in aquis natent: homines inſuper cæteraq́ bruta animantia, ut in terrarum ſuperficie incedant. Ut *Poeta elegantèr diſſerit.*

Ovid. 1. Metam.

Neu regio foret ulla ſuis animalibus orba,
Aſtra tenent cœleſte ſolum, formæq́ Deorũ.
Ceſſerunt nitidis habitandæ piſcibus undæ,
Terra feras cepit, volucres agitabilis aër, &c.

Quemadmodum igitur capras, boves, cervos, in aëre paſci, piſces in littoribus nudos ali, impoſsibile eſt: Sic per naturã hominum quoq́ fieri nunquam poteſt, ut ulli per ſe & ſuo motu per ſuperiorem aërem progrediantur. Et hoc eſt quod diſſeruit Paracelſus: Paracelſ. in Philo. mag. de malef. cap. 17. *Sagarum, inquiens, evolatus nulla prorſus arte conſtat. Intelligit nimirũ eas non propria arte, id eſt vi & natura ſive motu inſito in aëre volare.* Utrum *igitur vana, inquies, hæc tantum eſt illarum opinio, quam ex perſuaſione Satanæ conceperunt? Hoc ſanè non facilè dixerim: quod & alij homines, ejuſmodi convivia, choreas, aliaq́ ſpe-*

Ctacula Sagarum in remotis & deſertis locis ſyluarum camporumq; conſpexerint: de quibus dicere haud licet, eos oculis ſuis in tali viſione obfuſcatos fuiſſe. Quare cauſa alia inquirenda eſt ad rei propoſitæ intelligentiam? At quā cauſam hujus ſtatuemus? An imaginationem, quod domi ſuæ in proprio lecto altè dormientes, & ſimul à Satana dementatæ, ſibi videantur quidem alijs convivari, ducereq; choreas, cæteraq; ejuſmodi facere cum ſuis ſocijs? Ita ſanè plerisq; videtur. Variæ enim ſunt & diverſimodæ ſtupendæq; mētis ſeu animæ humanæ, nunquam nec in ſomnio, ut Hippocrates inquit, quieſcentis, conceptiones, cogitationes, imaginationesq;: ei tam validè fortiterq; impreſſæ, ut homo poſt ceſſantem ſomnum ſibi perſuaſiſſimam habeat, & firmiter credat, verè & realiter ea omnia contigiſſe quæ ſomniavit. Unde amores, oſcula, amplexus, coïtus Ephialticorum: item aſcenſus in cælos, deſcenſus ad inferos, aliæq; peregrinationes Ecſtaticorum originē traxerunt, quas ſanctè etiam jurantes ſe perfeciſſe jactitant. De quibus Peucerus & alij plures Phyſici copioſè

Hipp. de inſomn.

Peuce. in li. de divinat.

copiosè tradiderunt. Et quod miretur aliquis, de futuris verè deinceps contingentibus homo insomnia sæpissimè cõcipit. Multa enim sic audiri, multa dici videtur. Cujus illustre exemplum est apud Ciceronem, de duobus Arcadibus amicis, qui cum iter facientes Magaram venissent: alter ad cauponem, alter ad hospitem divertit. Et huic qui in hospitio erat, concubia nocte visum fuit in insomnijs, alterum orare ut subveniret, quòd sibi interitus à caupone pararetur: idq; cũ pro nihilo haberet, alter denuò idem rogare visus est, ut quoniã sibi vivo non subvenisset, mortem suam ne inultam esse pateretur, se interfectum in plaustrum infra stercus à caupone conjectum esse, &c. Manè igitur, ut admonitus erat, surgens bubulco ad portã præstò fuit, quærens quid in plaustro esset, mortuum eruit: bubulcus perterritus aufugit. Caupo re patefacta pœnas dedit. En imaginationem nocturnam & somnium Arcadis de familiari suo verissimum. Similiter etiam Simonides, ut idem Cicero refert, cum ignotum quendam projectum mortuum vidisset, eumq; humavisset, ha-

Cice. lib. 1. de divinat.

Cic. ibi.

ſet, haberetq; in animo navem conſcendere: moneri viſus eſt in ſomno ne faceret, ab eo quem ſepultura affecerat: ſi enim navigaſſet, eum naufragio eſſe periturum. Redijt itaq;, perierunt cæteri, qui tum navigaſſent. Ita ſæpè animus hominis in ſomno præſentia cernit, futura prævidet, meminit præteritorum. Jacet enim corpus dormientis ut mortui: Viget autem & vivit animus. Ego metipſe, ut hoc unum addam, ante decennium plus minus nocte quadã in collegio Pomærij Marpurgenſium dormiens ſomniavi, me videre quendam in urbe mihi familiarem, cujus nomen nunc taceo, circa dorsũ & in brachijs vulnerari. Manè ſurgens, rem ita ut ſomnia veram, ea ipſa nocte contigiſſe, ex publico rumore protinus comperi. Scitè igitur & eleganter imaginatio Soli in homine, à Theophraſto confertur, utpote quæ non ſecus operetur in ſuo globulo, & in id, ad quod ſplendor ejus dirigitur, quàm Sol in elementa ſubjecta ſuum ſplendorem emittit. Sed quorſum hæc, inquies, omnia? Ad demonſtrandum quanta vis eſſet imaginationis: quæ nimirũ tam valida tamq;

da tamq̃ potens eſt, ut etiam ad formatiõẽ hominis in utero, ejusq̃ immutationem plurimũ ſæpenumerò faciat, ut pro diverſa gravidarũ imaginatione diverſi fœtus formentur. Sicuti copiosè Medici in traditionibus ſuis de conceptione & de gravidis oſtendunt. Vide integrũ tractatum de ea Paracelſi. Quemadmodũ itaq̃ Ephialtici vel Ecſtatici, de quibus dixi, plurima referunt, quæ in Ephialte aut in ἐκστάσι ſua viderint, audiverint vé: utpote gaudio exultantes in cœlis angelos, igne crematos in inferno impios: item quæ obſervârint in hortis, cãpis, aut alijs in locis amæniſſimis. Et hæc omnia veriſſimè affirmare audẽt, ita ut narrarint contigiſſe, quò tamen nunquam venerunt, quæq̃ nullibi terrarum viderunt. Sic etiam Sagæ (quid enim impediret eas) imaginari poſſunt ſe convivijs opiparè admodum inſtructis interfuiſſe, ſe cũ amicis ſuis ſaltaſſe, aliaq̃ tractaſſe huiuſcemodi, quibus plerũq̃ delectari ſolent, non tantum juvenculæ ſed etiam vetulæ. Ea, inquam, tam altè menti ſuæ imprimere poſſunt, ſe vidiſſe, quæ tamen nunquam facta fuerunt: ipſis domi in-

Parac. in tract. de imagin.

terim propter maritos ſuos vel liberos dormientibus. Ex appetitu verò earum phantaſia talis provenit. Quapropter minimè equidem negaverim, quin plurimæ, de hiſce Sagarum viſionibus & peregrinationibus aſſertiones ſint phantaſticæ, imaginariæ, ideoq; nihili faciendæ. Attamen omnia apparitionibus tantum in ſomno adſcribere velle, hoc eſt, quod nemo demonſtraverit. Inſignis enim & pernitioſus iſte error eſt Ulrici Molitoris, Wierri, & qui hos ſequuntur, aliorum in propoſita quæſtione decidenda concludentium, hæc omnia, de quibus dixi, Sagis in ſomno per repræſentationem ſimilium ſpecierum φαντασία conceptarum, vel à diabolo ipſis impreſſarum, apparêre duntaxat, non revera fieri. Etenim non tantummodò Sagarum illa confeſſio metu extorta, vel ſponte facta, verum etiam aliorum hominũ experientia, & ocularis demonſtratio, equitationibus, ſaltationibus, convivijs, &c. earum, fidem facit. Quî ſic inquies? Multis, inquã, judicibus, aliiſq; rerum publicarum præfectis cognitum & exploratum eſt, Sagas fateri ipſas, ſe in

ſe in congregationibus ſuis alias veneficas mulieres ex alijs locis, quas antè non cognoverint, in ſua eſſe ſocietate, conſpexiſſe: quæ deinceps à Magiſtratu comprehenſæ, lubenter ſe reas eſſe fatentur. Addo quòd ſæpè reperti ſint & proditi viri, qui iſtis ſaltatricibus fiſtula vel tibicine canentes, vim quandam pecuniarũ inde lucrati fuiſſent, utpote veram & certam aliquã monetam auream argenteámve: & deinceps re manifeſtata, aufugiſſent, ne punirentur. Huc refero, quòd multi per ſyluas aut alias ſolitudines iter facientes, ejuſmodi conventum Sagarum, ſuo viſu obſervarunt: earumq; alias ſubitò evaneſcere: reliquas verò, quæ ad cuſtodiendum vaſa & fercula, illic immenſis repoſita, manſuræ eſſent, in feles canesvé mutari, ne agnoſcerentur. Poſtquam enim adventantes rei viſendæ gratia propius acceſſuri reſiſtentibus illis animãtibus pedes alias vé partes amputaſſent, domum reverſi, fœminas illas, quæ in feles aut canes converſæ erant, ijſdẽ partibus, eademq; hora, qua eas obtruncaſſent, mutilatas viderunt. Qua, quæſo, Euvichi, oculorum

experientia & visione, quódnam clarius & illustrius aliud testimonium desiderabis? Annè dices Satanæ has præstigias esse, quód huic facilimum sit, imagines in istis locis & formas talium mulierculaꝝ excitare atq; proferre? aut hunc ipsum formam istarum assumere? Si dixeris, fieri hoc posse cõcedam: aliquando quidem, non semper. Quomodo namq;, si corpore suo mansissent domi, in remotissimis syluis, quò non venissent, canum feliúmve specie, pedes ijs aut aliæ partes substantialiter mutilari potuissent? Absurdissima, arbitror, & omninò hæc ridicula foret opinio: qua nihil ineptius, nihil tetrius, nihil denig; à Physicæ philosophiæ legibus magis alienũ auribus nostris unquam adferetur. Quæsiverit autẽ alius, quibus modis, quibúsve argumeutis sententiam istam tueri velimus, quòd Sagæ, brevissimo velunius horæ spacio, citissimeq; in alias etiam remotissimas ab earum habitatione regiones, urbes, syluas, quò velint, per aërem ferri, moveri, volitare, sive equitare queant. Unguentorum hoc fieri ajunt, vel à Satana oblatorum, vel à seipsis præparatorum oblini-

oblinitione, si frontem, manus, aliásve corporis sui partes ijs inungant: hoc enim facto eas avolare citò ad mille millenos genios. Et hæc illorum ratio physica, & in specie quoq; verisimilis apparet. At non omne quod veri formã præ se fert, protinus quoq; κατὰ παντὸς, ut Logici loquuntur, aut καθολικῶς verum est. Quapropter paulò exquisitius diligentiusq; istud argumentum est examinandum. Cati vel lupi adipem nominant, & lac asininum, & nescio quæ alia, quibus uti consueverint. Magnam equidem ante rebus naturalibus efficiendi potentiam inesse dixi, adeò ut vix minima ejus pars nobis accuratè perspecta sit: quæ verò in istis simplicibus rebus, aut alijs, quas recensent, Sagarum in altum aërem sublationis, evectionis, deductionis causa sit, ingenuè fateor me nondum accuratè definire posse. Quod si enim attractrici alicui qualitati cum levitate simul conjunctæ effectum istud adscribere velim: eam in alijs pluribus rebus longè validiorem potentioremq; reperimus. Specifica verò, inquies, hæc virtus est, & propria quædam facultas

illarum rerum, è quibus unguenta ista parantur, à physicis Medicisq; nondũ hucusq; descripta, sed ijs solummodò perspecta, quibus Cacodæmon significarit, videlicet Magis atq; veneficis. Esto sanè: Si enim anxiè contendatur, nõ habeo, quod contradicam. Quandoquidem plurimis ob quotidianam experientiam in confesso est, sæpè cõtingere: ut, si mariti aliquando, qui forte fortuna observarunt suas uxores prius inunctas avolasse, quid rei esset experiri cupientes se quoq; perunxerint, simul post eas avolent. Id quod historiæ plurimæ, quas videre est apud Bodinum & alios hujus generis scriptores, evidentissimè testãtur. Ut ut autem hoc sit: Unguentis tamen per se vim talem inesse, absq; cooperante Diaboli potestate haud lubẽter concesserim: sicuti Paracelsus quoq; innuere videtur: Unguenta, inquiens, nihil revera ad rem faciunt illis, quæ ad veneficia natura quidem aptæ sunt, nec etiam verba quidquam prosunt. Verùm quæ non sunt natæ sub istis ascendentibus, juvãte sola superstitionis vana fide, possunt ijsdem ceremonijs & unctionibus observatis unà

Bodinus in tract. de pereg. Sagar.

Paracels. ca. 16. de malefic.

tis unà cum cæteris evolare? quod idem est, ac si quis potiatur eo quod alteri præparatum est. In quibus verbis non omnem unguentis vim Paracelsus adimit: sed in ijs quæ non sunt natæ venefica vim eorum augeri putat à vana fide. Sunt etiam qui similiter unguentis illis eam, quam dixi, virtutem inesse negant: sed argumento minimè hanc quæstionẽ probante. Nempe quod qui inter volandum Dei veri nomẽ invocent, ulterius volare aut equitare nequeuntes in terrã à Satana protrusi, vel per se decidant. Si enim unguentis, ut inter cæteros Bodinus inquit, quibus venefici oblinũtur, vis tanta insit, eam vix impediri à nominis divini pronunciatione, id quod fieri Bodinus ob multarum Sagarum confessionem concludere videtur. At hoc infirmum planè argumentum esse, quis non intelligeret? Si enim nominis divini appellationem definias veram Dei altissimi ex intimo cordis gemitu procedentem invocationem: quidni illa vel potissimam efficacissimamq́, omnium unguentorum, adeoq́, ipsius Satanæ virtutem impediret? Ab hac certè qualiscunq́, virtus

rerum omnium naturalium infringi & imminui poteſt. Quandoquidē & montes vera fides tranſponit. Quamvis tamen ejuſmodi gemitum & ſinceram invocationem in ijs qui ſe Satanæ obligarūt ex pacto, haud conceſſerim. In reliquis qui forte fortuna oblinuntur, fieri poſſe non admodum recuſaverim. Sin verò de ſymbolica tantum & verbali Dei conditoris nominatione iſtud accipias: quid, quæſo, illa conferret? Quod ſi enim præ admiratione ſolummodò rerum viſarum abſq; ulla auxiliorum imploratione Deum nominaverint: quemadmodum vulgus re aliqua nova vel etiam ridicula ſæpè conſpecta exclamare conſuevit, proh Deum immortalem, qualis hæc res eſt? quid video? Bone Deus, &c. Annè hac Dei externa & verbali appellatione unguētis in corpore Sagarum, omnem vim adimi putas Bodine, aut Cacodæmonem tantoperè illam reformidare, ab eaq; abhorrere, ut ferre vel audire prorſus nequeat? Quid igitur illud

Matt. 7. *quod Chriſtus ait: Nequaquam omnis, qui dicit mihi, Domine mi, domine mi, introibit in regnum cælorum, &c. Et paulò poſt:*

Multi

Multi dicent mihi, Domine, domine, nónne in nomine tuo prophetavimus? Et tunc confitebor illis: Nunquam novi vos, &c. Quamobrem, inquam, argumenti abs te Bodine allati ſententia non catholica aut univerſalis eſt. Quænam igitur tandem, aliquis quæſiverit, & qualis cauſa eſt Sagarũ volatus, ut quæſtionis propoſitæ explicatio ad finem aliquando perducatur? Diligenter hanc rem perpendenti, difficile quidem eſt certam aliquam cauſam in natura Sagarum, & quibus utuntur unguentorum reperire. Qualiſcunq; enim ſpecifica virtus in ijs proferatur, ejus tamen in actum deductionem à Satana ipſo juvari credimus, ut effectum, de quo loquimur, non tam unguentis, quàm ipſi Cacodæmoni adſcribendum ſit. Et quidem hac ratione: Spiritus (nimirum maligni) vẽtis velociſſimis perſimiles ſunt, ut loquitur Paracelſus: exempli gratia: ventis qui flant à Septentrione verſus meridiem, celerrimaq; eorum operatio eſt. In quam ſententiam diuus quoq; Auguſtinus: Dæmones, ait, avium volatus incredibili celeritate vincunt. Hi igitur ſi voluerint

luerint Sagas quasdam cæteris adesse, eas deducunt ad locum ubi congregatio illarum futura sit, sive per caminum, sive alia quacunq; via; flantes nimirum post tergora Sagarum. Quemadmodū ventus spirans plumam à terra elevat in altum & ante se, donec eò loci veniat, in quo steterit. Singularem verò locum eligunt, ubi congregentur, quòd ab hominum consortio remotæ nō impediantur, ea quæ intra parietes ædium suarum minimè possent adimplere: videlicet institutionēm, conspirationem, & consultationem de inferendis aut efficiendis malis: adeoq; veneficia quæq; comparare atq; perficere: & quia nunquam ferè conveniunt, ubi non simul convivantur ac saltent, id quod domi suæ haud commodè possent efficere. Magnus enim sæpè chorus earum est, ut Paracelsus refert, adeò ut turmatim aliquando militum instar ex ordine super pagos, montes, convalles ferantur. Quod insuper inter volandum, ut ipsæ fatentur, loqui non audent, vel etiam retrospicere: id ait fieri, quòd metuat Satan ne nominetur is qui cōdemnavit eum, altissimus. Exempla vola-

tus

tus & ſaltationis Sagarum qui cupit, plurima colligere poteſt ex aliȳs ſcriptoribus. Vide de his Auguſtinum, & copioſius Wierum. Item Jacob. Sprengerum, & cæteros. Concludimus itaq;, ex antecedentibus repetentes: Sagas, etiamſi nō ſuapte natura aut propriȳs viribus, & omnes, unguentorū tamen virtute à diabolo corroborata, ac deinde hujus quoq; ductu plurimas ſæpè per aërem de loco in locum alium vel remotiſſimum ferri aut peregrinari, ubi conviventur, choreas ducant, & res alias pro lubitu cum Satana habeant atq; tranſigant: ut neutiquam dubitādum ſit, Sagis hæc effecta veluti cauſis efficiētibus rectè aſſignari. Quare? aut quam ob cauſam? quia ſponte & volentes hæc faciunt: gaudent ſiquidem hiſce rebus, & ſummoperè delectantur. Voluntas autem à Logicis, id eſt ab omnibus ſapientibus atq; prudentibus hominibus inter cauſas efficientes rectè numeratur: ut qui conſultò & conſideratè quidpiam faciunt, ſi non principales, attamen concauſæ ſeu cooperantes voluntariæ haud immeritò dicantur & habeantur. Imò etiam ſi nihil ipſæ per ſe facerēt,

Augu. li. 10. item 21. de civit. Dei. VVierus lib. 2. c. 8. de præſtidæm. Spreng. in malleo mal.

agenti tamen consentientes eâdem qua ille culpa tenentur. Oritur autem ex præcedentibus alia, quæ sequitur quæstio.

De Sagarum in catos, feles, aliáve ejuscemodi animantia transformatione.

Cum enim sæpè observatum fuerit, Sagas in congregatione seu conventu suo, ne ab alijs hominibus ex improviso fortassis adventantibus agnoscerentur, in canes, feles aut catos fuisse transmutatas: non immeritò à Philosophis præcipuè quæsitum est, utrum vera & substantialis ista sit μεταμόρφωσις, an verò phantastica tantùm & apparens. Item quomodo hæc fieri possit, physicáne aut naturali ratione, sive præternaturali contingat. Quocirca ne rerum causas inquirere non velle putemur, hæc etiam quæstio penitius examinanda venit, ne Sagæ quæ non fecerunt, feciſſe dicantur. In thematis autem hujus interpretatione, in campum

pum diſputationis ampliſsimũ incidimus. Multi enim perſuaſum ſibi habent, ac firmiter ſtatuunt, non tantùm Sagas mutari in canes, catos, &c. ſed etiam alios homines in alias beſtias, utpote in lupos, cervos, aſinos, & alia id genus animantia ſæpè converti. Et hæc non ſolùm vulgi opinio, ſed vel politiſsimorum graviſsimorumq; autorum ſententia eſt. De λυκανθρωπία autem, id eſt, converſione hominum in lupos, ſeu de lupinis hominibus res copioſior eſt: ideoq; primò de ea videndum. Rex Arcadiæ Lycaon olim in lupum mutatus fertur ab Ovidio, ubi Jupiter poſt enumerationem ejus ſcelerum ac delictorum, ait: Ovid. 1. Metam.

Territus ipſe fugit, nactusq; ſilentia ruris
Exululat, fruſtraq; loqui conatus, ab ipſo
Colligit os rabiem, ſolitæq; cupidine cædis
Utitur in pecudes, & nunc quoq; ſanguine gaudet,
In villos abeunt veſtes, in crura lacerti
Fit lupus: & quæ ſequuntur plura.

Unde etiam Lycaon, opinor, dictus fuit. Et harum μεταμορφώσεων veluti Actæonis in cervum, & aliorum in alias beſtias, pleni ſunt lib. 15. poëtæ hujus Ovidij, quæ quod pleræq; fabuloſæ ſint huc non pertinent. Si-

militer Mœrim quoque quendam lupi formam assumpsisse, eamq; sui ipsius μεταμόρφωσιν veneficijs & herbis efficere potuisse, Virgilius refert:

Virgil. Eclog. 8.

Has herbas (inquiens) atq; hæc Ponto mihi lecta venena
Ipse dedit Mœris: nascuntur plurima Ponto.
His ego sæpè lupum fieri, & se condere sylvis
Mœrim, sæpè animas imis excire sepulchris.

An verò Poëtarum forsan exempla testimoniaq; Euvichi respuis? Certè si feceris, miraberis etiam quod Bodinus asserit, Ulyssis sociorum in sues immutationem, quam Homerus cõmemorat à Circe venefica factam verè contigisse: vel, ut ipsius Bodini verbis utar, non esse fabulam. Miraberis etiam, quòd Virgilius dixerit herbis illud effici posse? Næ & ego miror quod D. Augustinus refert, suis temporibus veneficas frequentes repertas esse, quæ peregrinantibus, aut iter aliô facientibus singularis cujusdam frumẽti semine exhibito in caseolis, eos in quadrupedes bestias transformarent. Agedum verò relictis poëtis ad alios transeamus. Herodotus testis est, homines in Neuriorum regione frequenter cõverti in lupos. De quibus etiam

Belli Trojani tẽpore: quod cœptum est annis ferè 1200 ante Christũ.

Augu. li. 18. de civit. Dei, 17. & 18. capitib.

Herodo. ante annos fer-

etiam Pomponius Mela: Neuris, inquit, ſtatum ſingulis tempus eſt, quo ſi velint, in lupos, iterumq; in eos qui fuêre mutentur. Plinius inſuper huiuſmodi luporum mẽtionem facit. Item Strabo, Solinus Polyhiſtor, & alij: adeò ut idem Plinius ſummoperè miretur tot tantorumq; autorum conſenſum. Unũ ſaltem addo exemplum ex Tritemio Abbate, qui Bajanum quendam Judæum, quotieſcunq; modo vellet, ſe in lupũ convertere potuiſſe refert. Omitto enim hîc (quoniam de lupis potiſſimùm dicere cepi) illud quod de Ammonio Peripatetico philoſopho hiſtorici referunt: nimirũ quod eũ, quotieſcunq; ad ſcholam ſuam, in qua diſcipulis prælecturus eſſet, abiret, aſinus, quem ex homine factũ fuiſſe putant, à tergo ſecutus ſit. At quanam, inquies, cauſa eſt τῆς λυκανθρωπίας? Utrúmne verè hoc modo contingit, an verò fictitia tota, vel fabuloſa, & planè falſa eſt? Multi ſanè hanc imaginariam ſolummodò eſſe crediderunt. Quemadmodũ & Plinius inqt: Homines in lupos verti, rurſumq; ſibi reſtitui, falſum eſſe exiſtimare deberemus. Multi contrà, verè & ſubſtãtiali mutatione

mè 2100. ante quẽ vixit Homerus annis 40 Pompo. Mela lib. 2. de ſitu orbis c. 1. Plin. lĩ. 8. cap. 22. Vide Peucer. in li. de divin.

eam fieri credunt, & quidem in multis locis. Videndum itaq; quænam ejus ratio sit. Medici porrò in morborum naturalium numero λυκανθρωπίαν reponunt, & λυκάνθρωπον νόσον appellant: docentes redundantis Melancholiæ eam esse speciem, qua qui laborant, noctu domo sua egressi lupos in cunctis imitantur, vaganturq; potissimùm circa sepulchra mortuorum, donec dies illucescat, & ea quandoq; aperiunt, idq; plerunq; faciunt mense Februario. Est autem hoc de sententia illorum, depravatum maximè cogitationis & imaginationis symptoma: memoriam enim ferè illæsam conservant, facie insuper pallent, oculos habent siccos & imbecilles atq; profundos, linguam aridam, salivæ expertem. Infestantur siti vehementi & perpetua, pedes habẽt exulceratos, &c. Medelam insuper hujus morbi eandem esse tradunt, quæ sit Melancholiæ. Causa morbi statuitur redundantia Melancholiæ præternaturalis, cerebrum obsidens & obtundens, ut φαντασία & imaginatio lædatur. Unde ex depravata deinceps imaginatione morbus iste oritur: ut præter alios plures

Peuce-

Peucerus eleganter collegit in lib. de curatio. morbor. nondum edito, quem in Academia Witenbergensi publicè prælegit. Atqui hæc infirma nihilominus plerisq; sententia videtur, credentibus λυκανθρωπίαν *neq; ex Melancholica imaginatione oriri, neque apparentem quoq; fascinationem esse: sed verè & actualiter fieri, adeoq; corporis humani, in corpus veri lupi* μεταμόρφωσιν *esse. Sed quibus argumẽtis hanc suam opinionem tuentur atq; demonstrant? Primùm res hæc pluribus experientiæ comprobatur exemplis: quorum unum atq; alterũ repetam. Nempe in Asia, inquiunt, & Græcia, attestantibus nautis eò commigrantibus, frequentem esse ejusmodi luporum generationem. Item in Livonia. Quemadmodum hoc ipsum quoq; refert, quem honoris causa nomino, Peucerus, se nunquam, inquiens, credidisse* λυκανθρωπίαν, *quæ verè mutatis corporibus fiat: postmodum verò cum resciverit ex pluribus fide dignis hominibus, eam sæpissimè contingere in Livonia, se non potuisse non fidem illis habere. Henricus etiam Coloniensis quidam, similiter Ulricus Molitor, &*

Peuce. in li de divinat.

Colo. in tract. de lamiis.

præter cæteros longè veriorem hanc esse pu-

Bod. li. 2. cap. 6. de dæmon. *tavit Bodinus: apud quem plurima quoq; alia hujus rei exempla videre est: illud imprimis notatu dignũ de Petro Burgot, qui Byzantij accusatus, se unguibus suis & dentibus lupinis puerum septem annorum, & deinde quatuor puellas dilacerasse & devorasse confessus fuit. Et alterum quod recitat*

Fenzel. lib. 2. de mirac. *ex Jobo Fenzelio, referente, quod comprehenso Lycanthropo cuidam ungulæ omnes abscissæ sint, isq; simulac redijsset ad se, manibus pedibusq; mutilatus visus sit. Huc accedit etiam argumentum* ἀπὸ τῆς μετεμψυχώσεως *(quam celebris olim schola Pythagoreorum introduxit) id est, à transmigratione animarũ in alia corpora desumptum. Pythagoras enim docuit, animas hominum*

De metempsychosi Pythagor. *post obitum eorum, in aliorum hominum vel brutorum corpora migrare, ut ex viris fœminæ, vel è fœminis viri in secundo ortu nascantur, aliáve bruta animantia. Hanc*

Plato in Timæo. *Timæus Locrus, à cujus nomine Plato Dialogum de universitate inscripsit, hoc modo proposuit: Referuntur, inquiens, supplicia nova quod transeunt animæ timidorum in*

corpora

corpora muliebria, ut ad contumeliam exposita sint: latronum sive homicidarum, in bestiarum corpora ad supplicium: libidinosorum in suum aut aprorũ formas: levium in volatilium species: imperitorum & stolidorum in aquatilium speciem, &c. Sed specialioribus exemplis copiosius eam describit Plato, ubi Erin Armenium Ecstaticum introducit: qui refert se vidisse animam Orphei, eligentem, cygni vitam ob fœminei generis odium: vidisse animam Thamyræ mutatam in luscíniam: vidisse contrà cygni animam migrasse in hominem. Item Ajacis Telamonii animam, elegisse vitam leonis, vidisse Agamemnonem in aquilam mutatum: adeoq; ex aliis bestiis animas in homines transiisse, & inter se vicissim injustas in agrestes, justas in mansuetas mutari, & omnibus mixtionũ modis misceri. Et hæc est μετεμψύχωσις *Pythagorica, à plurimis Pythagoricis, Platonicis, Chaldæis, itemq; Persarũ & Aegypt. Philosophis approbata. Quid verò & Theologi multi aliis etiã præter* μετεμψύχωσιν *argumẽtis, ejusmodi mutationẽ hominũ fieri demonstrãt? eo modo quo fœminæ*

Plato sub finẽ 10. de Republ.

nonnullæ ſpecialiter in viros converti dicuntur. Ut *Gellius ex Plinio refert, fœminas ſic, uti dixi, mutari in mares. Plinius, inquiens, ſe non audiviſſe, neque legiſſe, ſed vidiſſe ſe & ſcire ſcripſit. Ait enim: hoc non eſt fabuloſum. Invenimus in annalibus Q. Licinio Craſſo, C. Caſsio Longino Coſs. C. Aſinij puerum factum ex virgine ſub parentibus juſſuq; Aruſpicum in Inſulam deſertam deportatum, &c. Et paulò poſt: Ipſe, inquit, in Africa vidi mutatum è fœmina in marem die nuptiarum L. Coſitium civem Tryſditanum: vivebatq; cum proderem hæc. Atq; hæc plerunq; ex prophanis autoribus. Quod ſi denig; ſacroſanctarum literarum monumenta conſulamus, ex eorum quoque hiſtorijs demonſtratio quædam deſumitur. In Daniele vate veriſſimo exemplum habent manifeſtiſſimum de Nebucadnezare rege, ab ipſo Deo in beſtiam converſo per integrum ſeptennium. Cum enim in palatio regni Babyloniæ obambulans ſuam potentiam ipſe nimium jactaret: eadem hora, ut Propheta inquit, verbum Prophetiæ completum eſt in Nebucadnezare.*

Gell. li. 9. cap. 4.
Plin. lib. 7. natur. hiſtor.
Dan. 4.

zare. Nam ab hominibus depulsus, cum bestijs agri in vinculo ferreo chalybeoq; herbam ut boves, comedit, & rore corpus ejus intinctum est, usq; dum pili ejus ut aquilarum plumæ crevissent, & ungues ejus, ut avium. En corpus regis plumosum, & unguibus ornatum. En bestiam ex homine natam. Quid igitur, & quam ob causam dubitabimus amplius, quin homines (id quod in principio demonstrare constitueramus) in aliorum animãtium species mutari queant? Res hæc cum propter sensibilem infallibilemq; specialium experientiam, tum propter certissimam Danielis historiæ veritatem, minimè dubia videtur. Quamobrem & Bodinus de proposita quæstione disserens, Res mira, inquit, hæc est: verùm longè magis mirandum puto, quòd sint, qui tot clarissimorum autorum argumentis testimonijsq; refragari non verentur. At verò, inquam, quantumcunq; mira sit, natura tamen hominis ita comparata est, ut non facilè aliorum placitis acquiescat, si probabiles saltem ullæ rationes contrà adferre possit. Quamobrem ut certi aliquid de animantis

rationalis quæ fertur, hoc est, hominis trãsmutatione cõcludatur: præmissis istis omnibus nostram quoq; sententiam ἐκ λόγου καὶ τῆς φύσεως sacramenta observantes denuò adjiciemus. Homo est animal ratione præditũ: materia scilicet corporata, & forma corporis experte, utpote ratiocinandi facultate constans. Quandiu hæ causæ essentiales materia & forma conjunctæ manent: tandiu, ut & suprà attigi, homo substantiam suam, & hujus propriam denominationem retinet: tandiu, inquam, homo est & manet homo. Si verò dissolvantur, corpus humanum destruitur atque perit, quæ destructio mors hominis est. Neque enim possunt istæ secundum naturæ ordinem dissolvi, nisi ab uno præpotente DEO in morte hominis, qualescunq; sint ejus occasiones. Deus enim unicuiq; homini, ejusq; vitæ, antequam in utero matris suæ conceptus fuerit, certum terminum & finem unum ordinavit, constituit, & limitem intransgressibilem posuit, ut quæcunq; anima humana semel à corpore suo secesserit, ea non possit iterum adesse illi corpori, aut consociari, ante novissimum

Dei

Dei conditoris in mundi extremitate judicium. Hæc, inquam, immutabilis est Dei omnipotentis ordinatio. Hic naturæ humanæ ab eodem factus est cursus, & non alius. Quamvis citra mortem ejusmodi sensibilem unus Elias in igneo curru, vivus nimirum in cœlos subvectus est. Quod si igitur hominum quorundam forma substantialis ante hunc novissimum terminũ in hac vita subinde ad certum spacium corrumperetur, ac toties restauraretur, aut recuperaretur: necessariò fatendum esset, unum eundemq; hominem, quantũ ad essentiam sæpè mutari: id quod nemo unquã philosophorum cõcesserit: sequeretur Dei ordinationem, quam dixi, non servari: sequeretur contra verissima physiologiæ fundamenta, unũ eundemq; hominem in sua vita sæpè de novo generari seu revivisere, itemq; sæpè mori. Amissio enim seu secessio formæ substantialis mors ab omnibus Physicis definitur. Novæ formæ seu pristinæ recuperatio, generatio vitæ est. Quamobrem ita breviter colligo: Si homines vel venefici vel alii, in lupos, vel etiam in asinos, cervos, ante fatalem, & à divina

providentia determinatum vitæ exitum mutarentur, mutatio illorum aut à DEO ipso, aut à Satana ortum trahet. Sed neutri istam efficientiam adscribere possumus. De Deo antè diximus. Quòd verò Lothi uxor in statuam salis à Deo conversa scribitur, ea specialis quædam & fatalis conversio fuit. Non enim fœmina ista deinceps formam suam iterum recuperavit, ut Lothi uxor iterum fieret aut diceretur: sed omnimoda ejus ob promeritam ultionem perditio fuit, & in hujus testimonium statuæ perpetuò duraturæ erectio, à qua durationis perpetuitate statuam illam nonnulli Salis appellatione cognominatam fuisse censent, quod hoc nomine Hebræi, quamlibet rem diutissimè durantem describere cõsueverint. Satanæ porrò si efficientiam, quam dixi, adscribere quispiam velit, is absurdissimè fecerit. Iste siquidem nullam neq; hominis neque alterius rei naturalem & semel in ortu nativitatis à Deo creatam speciem mutare, & aliam inde creare essentialem potest. Creatio namq; propriè dicta solius Dei opus est, qui postquam omnia rerum naturalium

ralium genera omnesq; ſpecies creaſſet, ſingulis illis (exceptis ſpiritualibus) creaturis, ut ipſe à creatione liberaretur, poteſtatem quoq; ſiue facultatem indidit ſimilem ex ſeſe ſpeciem progignendi: quarum ſi una formam ſuã prorſus amiſerit, omninò perdita, deſtructa, mortua, ab univerſis phyſicis rectè dicitur. Satan itaq; cum & ipſe creatura ſit ſpiritualis: nullam neq; ſibi ſimilem creaturam, neq; corpoream quamcunq; de novo creare poteſt. Proinde cum Satan hoc non poſſit, quis ſanæ mentis compos ulterius hominũ Metamorphoſin aut in alia animantia transformationem aſſerere & defendere audeat? Nemo ſcilicet, qui vel extremis, ut aiunt, labris, phyſiologiæ primordia deguſtavit, id ipſum conabitur. Enthymematicus igitur ſyllogiſmus ex antecedentibus demonſtrationibus repetitus talis eſto: Homines neq; à Deo ipſo, neq; à Satana, multò minus ab hujus miniſtris ſubſtantialiter in lupos mutantur: Ergo talis aliqua mutatio, quæ verè & corporaliter fiat, minimè credenda eſt. Sin verò præcedentia exempla quiſpiam vehementer urgeat, facilis eſt illa

examinandi & intelligendi ratio. Quod enim Bajanus ille Judæus Trithemij Abbatis, ſe quoties modò placeret immutare potuerit, libentiſſimè credidero: ſed quod verus factus ſit lupus, animal videlicet adululandum quod naſcitur, oſſibus, cæterisq; partibus lupi ſubſtantialiter conſtans, nemo mihi perſuaſerit. Potuit ille aliorum viſionẽ obductis craſſioribus humoribus fallere: potuit effaſcinare, ut lupum pro homine viderent: potuit etiam cooperante Satana lupina ſpecie ſive forma corpus ſuum veſtire, vel deniq; corpus ſuum oculis aſpectantium ſubducere, & in locũ ejus lupum, vel ſaltem lupi ſimile corpus producere. Quemadmodum Pythoniſſa illa in Endor Sauli Samuelem ab inferis reduxit, non ipſum puta Samuelem regem, ſed ſimilem illius imaginem, ſimile ſpectrum, vt Pet. Martyr copiosè demonſtrat. Quamvis ut annotat Bodinus, Theologi quidam putent, hunc verum fuiſſe Samuelem: eò quod ab Eccleſiaſte dicitur: Samuelem poſt obitum ſuum prophetaſſe nunciata morte regis & victoria Philiſtæorum. Deinde quod Samueliſte

1.Sam.28

Martyr in loc. comm. Bod. lib. 2.cap.3. Eccleſ. cap.46.

in ſua

in ſua reſponſione magnum Dei Iehovæ nomen quinquies enunciãdo repetierit: quod tamen audire Cacodæmones perhorreſcunt. Intellige enim contra Bodinum, aliquando etiã diabolum ex jusſu Dei vera nunciare: ut Tho. Eraſtus uberius declarat in Antiparacelſicis, & vel coãctum Dei appellationem audire vel etiam exprimere. Præterea q Petrus iſte Byzantinus puerulos & puellulas lupinis ſuis dentibus dilaniarit, & plures voluerit, hæc ſtolida fuit ejus perſuaſio: dum forti imaginatione ſe lupum eſſe putans, eos ex illicita & præternaturali appetitione manibus ſuis, quarum extremitates, ungues aut ungulas credidit, impetu validiſſimo diſcerpſit & comedit. Fidem huic facit, quod & alij robuſtiores homines facilè puerulum aliquem diſcerpere vi maxima poſſint. Fidem pleniorem facit, quod ex depravata ſimiliter imaginatione gravidæ mulieres, de quibus antè, non tantum crudas quaslibet carnes, verumetiam, lutum, & varij generis terreſtrem materiam devorent. His enim omnibus meliorem & gratum magis ſaporem obtinet humana ca-

ro, ut impiorũ quorundam experientia, in ea decoquenda, & alijs ad comedendum exhibenda, docuit. Idem de similibus judicium esto. Sed quid seorsim de Pythagoreorum metempsychosi dicemus? Dicendum certè quod res ipsa est: videlicet quod illa comparatè aut μεταφορικῶς *secundum similitudinem, & non absolutè secundum substantiam sit intelligenda. Nempe observandum rationales animas in vitam non bruti alicujus sive brutorũ, sed brutam, id est, brutorũ propemodum similem & vicissim demigrare intellige, quantum ad mores inhonestos & planè efferos, &c. Hæc siquidem interpretatio, omnibus penè illustrioribus Platonicis, excepto Plotino, maximoperè placuit, ut Marsilius Ficinus attestatur, qui & ipse plenius eam interpretaturus inquit: Intelligitur, ubi ait Plato hominem fieri brutum, id non propriè, sed quadam similitudine dici. Et paulò post. At verò gradus brutorum omnes paulatim ex graviori rationalis animæ lapsu multiplicari: intellige animam nostrã ob quandam liberi motus infinitatem posse intra se in brutorum omnium*

Ficin. in argumẽ. lib. 10. de Republ.

Idem in fine compẽdii in Tim.

omnium affectus habitusq; proruere, &c. Allegorica igitur hæc sive mystica sententia (qualis plerorumq; pythagoræ dogmatum est) de liberrimo & infinito animarum humanarum motu, evidentissimè nobis ostendit, ante definitam metempsychosin nulla ratione substantialem aliquam hominum in bestias transformationē arguere. Quod insuper ad Nebucednezarem regem pertinet, textum Danielis Prophetæ diligenter perlegentibus, riteq; considerantibus, liquidò apparebit, mutationem istius regis factam esse οὐ κατὰ σῶμα *verè & substantialiter, sed* κατ' εἶδος φαινόμενον, *vel potius* καθ' ὁμοιότητα, *ut similis evaserit bestijs in sylvis hinc inde irrationabiliter currentibus. Nec enim textus inquit, eum factū esse bovem aut aliud quoddā certo nomine insignitum animal: sed segregatum esse ab hominibus, & cum bobus aut instar boum herbas agri comedisse. Qualis igitur, quæso, hæc consequentia foret, si dicerem: Nebucadnezar segregatus ab hominum cœtu instar bovis alicujus fœnum aliasq; herbas comedit: Ergò verè bos fuit.* Ἄλογον *planè hoc est di-*

cere. Consequentis enim cum antecedente in isto Enthymemate connexio minimè necessaria est. Quoniam præsertim non adeò contra naturam hominis est, vesci herbis agrorum etiam crudis & inconcoctis. Inprimis, cum Deus regem istum post datam sufficientem pœnã ad sese redire voluerit. Insuper nec pili ejus prolixiores instar plumarum aquilæ alicujus, nec etiam ungues ejus instar avium, Logicè rectèq; id, quod alij volunt, hoc est, bovis substantiam arguunt atq; demonstrant. Quid enim mirum videatur physicæ artis principia tenẽtibus, pilos Nebucadnezaris in longitudinẽ excrevisse: cum tanto tempore corpus ejus rore madefactum, adeoq; humores omnes ob inconsueta alimenta magis magisq; corrupti fuerint? Pilorum siquidẽ longitudo ex crassioribus in humidiore corpore redundantibus humoribus provenit, teste Galeno Medico. Quemadmodum experiẽtia testatur, etiam suspensorum diutius hominum cadaverib. pilos longiores sæpè enasci atq; produci. Et quid multis? Si enim maximè (quod tamen neutiquam concesserim) in bestiam

veram

veram mutatus fuisset: unicum tamen hoc exemplum, universalem Dei in hominum corpore & forma ordinationem nequaquã immutari probaret: hominem scilicet humanam suam naturam & formam retinere adusq; totius dissolutionem ac mortem ipsam. Fatalis enim hæc Regis illius pœna & singularis quædam ultio esse debuit, in utilem tamen ejus vitæ finem directa: ut nimirum rex iste ⌣ arrogantissimus superbia deposita seipsum humiliaret, ac summam omnipotentemq; Dei ⌣Majestatem rectius cognosceret. Rectè igitur, Evvichi, in principio libri tui dixisti, historiam Nebucadnezaris non juxta τὸ ῥητὸν intelligendam. His proinde satis abundè demonstratis, non possum non summoperè mirari Bodinum, alioquin tam acerrimi judicii, quàm variæ lectionis virum, qui contra sententiam historiæ Danielis, verbis etiam non rectè citatis dixit: Nebucadnezarem in bovem à DEO transformatum fuisse: indeq; contra rationis dictamen, generaliter, & quidem prolixa oratione hominum in bestias metamorphosin demonstrare aggressus copiosissimè Bod. lib. 2. cap. 6.

acerbiſſimeq; in alios ſibi contradicentes invehitur. Nihil certè nos ullos metuemus Bodinos, nihil Peuceros, nihil denique alios ullos, qui in Livonia, in Aſia, Græcia, & neſcio ubi locorum alibi Lycanthropos ex hominibus ortos conſpexerunt. Quamobrem, ut unde digreſſa eſt, eò redeat deinceps oratio noſtra, ſtatuo: ut nec alios homines, ita nec Sagas unquam in lupos, & per conſequens in feles, canes, lepores & ſimiles beſtias immutari. At, inquies, ſit venia dictis. Senſibili enim oculorum experientiæ & Sagarum ipſarum confeſſioni fidem non habere nefas ſit. Eſto ſanè. Aſt contra, inquam, apparens iſta & phantaſtica omnis fuit viſio, fucataq; & umbratilis tantùm imago, ut homines quidem maneant, ſed brutorum animantium ſpecie extrinſecus apparentes ſolummodò videantur. Imago ſcilicet vel ab ipſo Cacodæmone, ejúſve auxilio, vel ex mera illorum, quos hoc modo mutatos eſſe dicimus, imaginatione orta. Facilimum enim eſt dæmoni Sagarum corpora alterius cujuſdam beſtiæ ſive rei cujuſlibet figura aut imagine ſuperinducta tegere, ne

re, ne quales ſint homines agnoſcantur. Eſſe autem eas vel latere ſub tali imagine abſconditas, ſeorſim exemplum iſtud Bodini indicat, ubi refert de Sagis nonnullis Vernenſibus, quòd cum ſæpè in arce quadam præantiqua in ſpecie multorum felium convenire ſolerent, ideoq; viri fortes quinq; ad explorandam rei veritatem iſtic pernoctare aliquando propoſuiſſent, unus ex illis ſit à felibus interfectus, à reliquis autem Sagæ multæ vulneratæ ſint: quæ cum iterum in fœminas mutatæ eſſent, domi in lecto ſingulæ ſuo decumbentes, ab aſtantibus vulneratæ mutilataq; videbantur.

An Sagæ cum Satana rem venereām exercere poſſint.

IN cauſis porrò Sagarum judicandis & decidendis ulterius controvertitur ac diſputatur: Utrum *poſſint Sagæ cum Satana ad rem veneream exercendam, commiſceri, ut ex commixtione tali fœtus humanus, isq; vitalis generari queat? Hujus verò quæ-*

ſtionis diſputandæ, ſicut & antecedentium cauſa fuit, experientia ipſa propriaq; Sagarum, qui tale aliquod delictum perpetrârunt, confeſſio: præſertim verò Ephialticorum, de quibus Phyſici docuerunt, imaginatio actioq; mirifica. De his igitur videbimus contemplabimurq;, quas in Phyſiologia rationes cauſás ve naturales obtineant. Semper enim experientiæ argumento τὸ τῆ λόγῳ κριτήριον *conjungendum: & diſputatio noſtra de ſimili Sagarum actione melius deinceps intelligitur. Ephialtes proinde morbus, ut quibuſdam placet, à viro quodam ejuſdem nominis Etymologiam traxit: aliis tamen à phantaſia dicitur, qua Ephialtici ægroti afficiuntur, quoniam imaginantur hoc morbo correpti, ſe ab aliquo pondere comprimi.* Ἐφάλτης *enim inſilire alteri ſignificat, item irruere & invadere alios. Vulgò incubonem vocant, ſive incubum, ab incubando: quod pondus quoddam nobis dormientibus incumbere, & ſuper nos conſiſtere putemus. Plinius modò ſuppreſſiones, modò noctis ludibria, item Faunorum in quiete ludibria vocavit. Oritur autem hic morbus,*

bus, cum ſpiritus animales exiſtentes in cerebro ob vapores aſcẽdentes á pituita & melancholia obtenebrantur, ut virtute ſic oppreſſa videatur aliquid grave inferri, teſte Aëtio Medico. Adjuncta enim hujus morbi, quæ ſymptomata Medicis dicũtur, ſunt: corporis motus tardiſſimus, & torpor, & per ſomniũ maximè torpida ſenſatio. Item præfocationis ſenſus, & veluti irruentis alicujus corporis occupatio. Præterea nõ tam vociferationis quàm vocis ipſius irritus conatus, ita ut maximè in verba erumpere & clamare hoc morbo correpti velint, neutiquam tamen poſſint. Nonnulli inſuper tam inanibus viſis afficiuntur, ut eos quoq; qui in ſe irruerunt, oculis verè & auribus percipere credant, & à ſe uſum turpiſſimæ libidinis exigere: mox etiam eos ſi digito apprehẽdere velint, in pedes ſeſe ilicò conjicere opinentur. Et ſi diutius hic morbus perſeveret, graviora plerunq; diſcrimina denunciat & parere poteſt: nẽpe apoplexiã, furorem, epilepſiam. Nam quæcunq; Epileptici interdũ & in vigiliis, eadem propemodum noctu & per quietem Ephialtici patiuntur. Cõtingit

Li. 6. c. 2.

autem hæc affectio Melancholiica plerunq; resupino corpore jacẽtibus hominibus, tum aliis, tum potissimùm vetulis. Illæ enim ob sexum & ætatem admodum pituitosæ, pleræq; etiam ob animi affectus, qui à curis ab avaritia & similibus oriuntur, Melancholicæ existunt, ideoq; accedẽte illo sensu communi ab impurioris spiritus assidua suggestione vitiato se pati quidpiam molestum existimare. Sed cum id temperamentum sortiantur etiam juvenculæ propter absentiam plerunq; amantium & amicorum suorum tristiores, & variis curis cogitationibusq; implicitæ: non mirum si & ipsis hic morbus frequens & familiaris sit. Omnes igitur ejusmodi & juvenculæ, & potius vetulæ hoc morbo affectæ, ob læsam planè phãtasiam & imaginationem accedente interim metu (sunt enim pleræq; timidæ atque meticulosæ) existimarunt se à spectro quodam vel dæmonio divexari, quod à symptomatibus incubum nominarunt. Unde demum varia miraq; apud veteres figmenta de equitantibus istis nocturno tempore dæmonibus exorta fuêre. Inter cætera verò spar-

ſparſum illud peculiariter fuit de dæmonũ prius cum viro aliquo, deinde cum muliere congreſſu, & prognatis ex coitu ipſorum liberis. Quicquid quicquid autem de Ephialte fingatur, qui plurimis etiam honeſtiſſimis piisq́ hominibus, altè præſertim dormientibus, contingit: eum nihil niſi morbum ex melancholia redundante ortum eſſe cenſemus. At verò quod de coitu ſpirituum illorum cum hominibus ſpargitur, de eo, propter Sagas quæ hunc ipſum ſæpiſſimè vel ſemetipſas aliquot annos expertas eſſe teſtantur, deinceps ſigillatim videndum. Etenim quod de eo dicitur, id plurimi etiam cum Ethnici, tum Eccleſiaſtici autores in ſcriptis ſuis prodiderunt, eundemq́ ſcilicet dæmonem viris ſceleratis, & Magis ſuccubum, mulieribus incubum effici: & tum ſemen viro alicui ante ademptum mulieris inde ſinui in ipſo actu inſtillari, atque hinc ſæpè fœtum concipi & generari, quem vulgò appellant **ein Wechſelkind.** *Auguſtinus ante omnes Theologus graviſſimus, creberrima, inquit, fama eſt, multiq́ ſe expertos, vel ab eis qui experti eſſent (de quo-*

Li. 15. de civi. Dei, cap. 23.

Li. 1. qu. ſuper Geneſ. qu. 3.

rum fide dubitandum non est) audiviſſe confirmant Sylvanos & Faunos, quos vulgò incubos vocant, improbos ſæpè extitiſſe mulieribus, & earum appetiiſſe ac peregiſſe concubitum. Et quoſdam dæmones, quos Galli Duſios vocant, hanc aſſiduè immunditiem tentare, efficereq; plures commemorant, ut hoc negare impudentiæ videatur. Quid quod hunc dæmonis cum mulieribus congreſſum nonnulli, honeſtarum quoq;, ut loquuntur, fœminarum, quibus ille contigerit hiſtoria defendere nituntur? Mercatoris cujuſdam uxor prope Witebergam peculiarem ſolita fuit concubinum admittere, quæ tamen proba fuit viſa mulier. Et contigit marito negotiationis cauſa peregrè agente, amaſium aliquando noctu redire, & poſt curatam ejus cuticulam hora matutina picæ ſpecie aſſumpta momento foribus inſidere, & concubinæ ſuæ his verbis valedicere: hic tuus hucuſq; fuit amicus: dictoq; citius evanuiſſe. Apud Holandos religioſam quandam virginem ex propria peracta cum dæmone hujus ſpurcitiei confeſſione flammis adjudicatam eſſe, Wierus, Saga-

rum

rum alioquin propemodum patronus conſpexit. At utrum iſta ut nomine, ſic reipſa quoq; & verè religioſa fuerit, penes autorem illum eſto. Quis enim certò affirmaverit? Sed tamen & propriæ Sagarum multarum confeſſionis exempla referuntur, tum ab aliis, tum à Bodino plurima. Ex iſto hæc inprimis notanda puto: Magdalenam, ait, Cruciam Corduba in Hiſpania natam, monaſterii cujuſdam Abbatiſſam anno 45. confeſſam eſſe, ſe 12. ætatis anno è maligno ſpiritu ad inceſtum ſolicitatam ei conſenſiſſe, & ab eo tempore annis amplius 30. ei concubuiſſe. Et hiſtoria Divi Bernhardi: quæ teſtatur Sagam fuiſſe, quæ marito non animadvertenti accubans ſæpenumerò Satanæ ſe commiſcuerit. Idem & in noſtris regionibus multæ Sagæ proximis annis teſtatæ ſunt. Sin verò de mulieribus dubitas eas ex imaginatione hoc ipſum habere putans, vide quid idem Bodinus de viris proferat: Magus enim quidam Benedictus Berna, ſacerdos octogenarius, ut ille refert, dixit ſe amplius 40. annis cum dæmone muliebrem formam habente coiviſſe, eumq; ſibi nemi- Li. 2. c. 7.

ne cernente, fuisse comitem, nomine tamen Hermionem. Unde etiam vivus postea crematus est. Item alter quidam Sacerdos septuagenarius fassus est, se itidem cũ illo muliebri specie amplius 50. annis venerem exercuisse: & igni traditus est. Hæc exẽpla firmissima esse Bodinus arbitratur ad comprobandum copulationes istas neq; illusionibus neq; morbis annumerandas esse, ut in fine capitis suprà citati ait. Et quæ verissima historia est: Anno 73. 14. Novembris, in vicinia nostra, in Ducatu videlicet Brunsuicensi, Stephanus quidam Kalen *dictus, cujus uxor haud longo antè tempore cremata erat, & ipse Magiæ accusatus, dixit: se septem annis cum dæmone, quem amicam suam credidisset, nomine* die Kolstruckse *dictam, rem habuisse veneream. At quid pluribus exemplis opus erit? quorum ubertate libri aliorum referti sunt. Ecquid autem ad hæc omnia dicemus? Rationes enim experientiæ perpetuò conjungendæ sunt. Certè Physicorum traditiones de generatione recordantibus, easq; probè perpendentibus apparebit absurdum esse illud quod dicitur de co-*

de copulatione ſpirituum & Sagarum. Hæc enim ratio, hæc natura, hicq; modus eſt generatricis facultatis, quam Deus omnium animantium generi ſimilem de ſe ſpeciem procreaturo indidit, ut ex ſemine maris & fœminæ in utero fœmineo tanquam in naturali & propria ſede ad id deſtinata ſimul commixto fœtus concipiatur & generetur. Et alius locus, aliúſve ſobolem procreandi modus nullus eſt. Locus ſcilicet ſubiectus eſt uterus illius matris, quæ fœtum debet producere: in eo enim ſemen utrunq; retentum beneficio caloris concoquitur ad conceptionem ſobolis. Genitura igitur humana in ordinatis tantùm á Deo membris, generationi apta, ſi extra propria conceptacula qualicunq; etiam ratione transferatur, interire & corrumpi creditur, cum ſcilicet ſpiritus & calor ille cordis totiusq; corporis vel qualitate & quantitate juſta in ea temperatus non ſit, vel planè non adſit. Præterea quicquid de iſta ſeminis natura ſtatuatur, ſubſtantia tamen ſpiritualis actualiter aut carnaliter cum fœminis coire nequit: ſicuti Caſſianus quoq; in collatione Patrum rectè aſſeruit.

ruit. Ut maximè enim exteriorem hominis figuram ſpiritus illi aſſumere valeant, & aliquo elemento aëreo corporati eſſe: quale corpus ijs præter alios etiam Auguſtinus alicubi tribuit, vix tamen ita poterunt aſſumptum à ſe aëreum corpus indito calore ſpiritu & ſanguine, ex quo ſemen generetur, vivificare: ut cum muliere aliqua cõgredi potis ſint. Minimè, inquam, ſequi videtur ab aëreo ſpiritu vel etiam corpore, cum eo, quod temperata elementorum permixtione conſiſtit: naturalem vel ſimilem ei, qui inter corpora terreſtri magis temperie imbuta contingit fieri vel exerceri poſſe congreſſum. Aërem quidem vel aëreum corpus ſpiritus illi adferunt: ſed in actu venereo præter alia ſanguis & caro requiritur, quibus ſpiritus aut aërea ſpirituum corpora carent. In qbus tamen uberius proferendis parcendum eſt pius auribus. Neq; etiam ſpirituales angelorum naturæ creatæ ſunt, ut ſimilem de ſe ſpeciem in hoc mundo ſingulæ producerent, nuſquam enim hoc de illis ſcriptum reperitur. Univerſæ enim eorum legiones quotquot ſunt, in principio rerum ſimul à

Deo

Deo creatæ ſunt. Cur igitur naturali & phyſica ratione, modóve aut more virorum inſtar humano, cacodæmones cum Sagis venerem exercere poſſe aſſereremus? Copulatio iſta venerea qualis qualis deſcribatur, naturalis tamen non eſt: eam intellige, quæ in phyſicis de generatione hominum deſcribitur. At quid reſpondebimus ad experientiam aliorum, de tot exemplis à Bodino, Wiero, aliÿſq; autoribus, qui de hac materia ſcripſerunt, hiſtoricè annotatis? An manifeſtæ experientiæ contradicemus? An nihil etiam ſpontaneam Sagarum confeſſionem faciemus? Id omne, puto, nefas eſſe dixeris. Si autem hoc ſit, à cauſarum quoq; hujus actionis, de qua modò diſſeritur, inquiſitione, minimè deſiſtendum, ſed ulterius pergendum fuerit. Nihil enim turpius eſſe phyſico, quàm fieri ſine cauſa quidpiam dicere, Cicero rectè pronunciat, Phyſici nomine vocans omnem eum, qui de rebus naturalibus diſſerere aliquid velit. Quam igitur cauſam aliam adferemus? Si maligni ſpiritus actiones venereas exercuerint, ut ἐμπάθεια *ſignificat: id præſtabunt non ſecun-*

Lib. 1. de finib.

dum incorpoream ſuam ſubſtantiam, quatenus ſpiritus ſunt & permanẽt, ſed aſſumpto corpore alicujus animantis, qualicunq; illud forma oſtendatur, & ſive aëreum ſit, ſive alterius materiæ. Et ſi maximè ſit aëreum carne & ſanguine deſtitutum, partes tamen illius hunc in modum diſpoſitas robuſtasq; aſſumere poteſt ſpiritus quiſq;, ut quod velit his ipſis efficere aut operari, eum venefici homines manifeſtè & ad tactum ſentiant: ſicuti plurimæ Sagæ fatentur ſe ſenſibiliter ſæpenumero à ſuo ſpiritu percuti & flagellari. Unum addam exemplum ſequens. Marpurgi circiter annum 78. Damoniacus quidam juvenis ruſticus die quodam Veneris, quando publicæ haberentur preces, Theologorum concionatorumq; conſilio in templum ductus eſt, ut tentarent ſi dæmonem ex eo poſſent propellere. Cum verò finitis iſtis precibus iterũ in Xenodochion Weidenhuſianæ plateæ, quod Dei domum vocant incolæ, duceretur: civis quidam mihi optimé notus, poſtquam juvenem illum ſuas ædes (in quibus tum temporis abſente familia ad ignem in foco ſuo ſolus ſtabat) præ-

bat) præterire ex comitantium tumultuaria vociferatione obſervaret: ardentibus votis apud Deum pro ipſo intercedens, ipſo momento precationis ſuæ à genio quodam, ſibi tamen inviſibili, protinus tam duriter ad cervicem percuſſus eſt, ut pronus ad terram procideret. Quia, puto, genius iſte malignus ferre non potuit, ut homines pro juvene, quem obſederat, intercederent. Senſibilem, ajebat, ſe ferientis quaſi manus robuſtioris tactum evidentiſſimè percepiſſe, facie ſua ad ignem converſa. Hiſtoriam hanc, is, cui contigit quod dixi, eo ipſo die mihi ſoli revelavit, ne, ſi uxor vel liberi ſui idem reſciſcerent, deinceps, ut à timidis fieri ſolet, in domo iſta ſibi metuerent. Et de veritate hujus rei geſtæ ne minimum quidem dubitandum eſt. Quid enim quod & boni tres angeli, aſſumptis corporibus non ſimulatis aut phantaſticis, ſed ſubſtantialibus, ad Abrahamum divertẽtes, cibum cum eo ſumpſerint? ut Moyſes divinus hiſtoricus refert in Geneſi. Quid & illud quòd duo ad Lothum venientes angeli, apud eum ſcilicet pernoctaturi, ſub veſperam, quando incolæ Gen. 18.

ciuitatis eos ex ædibus Lothi vi extrahere vellent, ipseq; idcirco ad tumultum sedandum ad illos egressus esset, angeli, inquam, illi, aperta ianua Lothum ad se retraxerunt,
Gene.19. *& post se ianuam iterum clauserunt: matutino deinceps tempore, cum Lothus tardior unà cum suis ad abitum esset, angeli tum ipsum, tum uxorem filiasq; duas manubus corripuerunt, & extra urbem secum duxerunt? An verò putabis partes corporis illorum angelorum, quibus commemoratas res perfecerunt, fuisse imaginarias, & non potius verè cum adspectabiles, tum tractabi-*
Num.22. *les? Accedit igitur Angelus etiam, qui Bileamo ejusq; asinæ obviam venit, districtũ ensem in manu tenens, quo asinam tertia quoq; vice impediret, ne progrederetur. Et multò magis is, qui Jacobum Patriarcham,*
Gene.32. *cum quo dimicabat, percussit in fæmora, adeò, ut & nervi illius dislocarentur. De quibus vide plenius Methodum Hyperii Theologi. Ex his enim necessariò efficitur, corpora à spiritibus angelicis assumpta non fuisse tantùm phantastica aut apparentia, sed vera, ὑποστάσεις, substantialia, & per consequens*

dæmo-

dæmones corporibus ejuſmodi aſſumptis, operationes exercere poſſe humanas, utpote tangere homines, apprehendere, percutere, cum ijs dimicare, aut aliud quidpiam agere, adeoq; ut intellectum eſt, cibum potumq; aſſumere. Quid igitur mirum fuerit, ſi etiam cum Sagis coire actualiter, & ad ſatisfaciendum Veneri ſuppetias ferre poſſint? ubi leviore corporis titillatione & motu actioneq; haud validiore ad libidinem ſolummodò earum refrenandam opus eſt. Si denique dæmones iſti Sagas ex una civitate in aliam per ſublimem aërem, ut antè demonſtratum fuit, rapere poſſunt: partes quoque muliebres earum, quietè præſertim jacentium, ad placitum movere ipſis nequaquam difficile fuerit, ut coëuntem illæ ſpiritum aliquem manifeſtè tangant. Quamobrem de potentia propoſitæ ſpirituum actionis neutiquam dubitantes, eam veluti naturæ ipſorum minimè impoſſibilem, falsò ab alijs imaginationi tantùm aſſignari aſſerimus. Fateor equidem ſæpè imaginari tum Sagas, tum alios homines ſe videre, tangere, facere, quæ

tamen minimè vident, tangunt aut faciũt. Et hoc experientia ipſe edoctus fateor. Cur autem è ſomno expergefacti ceſſante nocturna imaginatione, poſtquam antecedentis temporis quo vixerunt, & rerum quas geſſerunt, ſumpto ſpacio recordari licet, faterentur id quod intelligunt & animadvertunt, ſe per φαντασίαν ſolummodò vidiſſe, audiviſſe, &c. præcipuè verò qui norunt ob tale aliquod facinus, ſibi vitæ diſcrimen imminére? Perabſurdum hoc eſſe arbitror. Quod ſi tandem dubitare perrexeris, unde ſemen accipiant Cacodæmones iſti Sagarum incubi, quod Sagæ fatentur ſibi, & quidem plerunq; frigidum injici: cum carnis & ſanguinis ſua natura illi expertes ſint: hujus quoq; quæſtionis rationem inveſtigare haud difficile opinor. Si enim verè id ſe hoc modo habet, cogitare facilimum eſt, dæmones ineffabili quadam celeritate id alijs ademptũ in ipſo momento venereæ actionis, ſuccumbentium Sagarum ſinui infundere poſſe. Quod ſi ſetas, pilos, aliaq; hujuſmodi, Sagæ per inſenſiles corporum humanorum partes geniorum ſuorum miniſterio intrudere queunt,

queunt, ut plurima indubitatæ experientiæ exempla teſtantur: nemo quoq; inficias iverit, quin genij ipſi longè facilius ſemen alterius alicujus animantis per patentes & amplos ſuarum amicarum meatus immittere poſſint. Hoc enim ex natura comparatorum argumentorum neceſſariò ſequitur. Quod inſuper de liberis ex tali, quam diximus, venere procreatis diſputatur, negare non poſſum, me ipſum tales nunquam vidiſſe. Compertum verò & exploratum eſt cum ex Ulrico Molitore, tum ex Inquiſitorum & aliorum annotationibus, fuiſſe aliquando tales Satyrorum filios alicubi progenitos, eosq; deformes, macros, & aliquantulùm proceros. Quemadmodum & Gigantes olim è concubitu dæmonum atq; mulierum natos eſſe nonnulli contendunt. Ecquid autem veritatem generationis hujus ſciſcitatibus aſſerendum erit? Annè fieri talis unquam poteſt? Ulricus ille, quem modò nominavi, concludit eos vel planè phantaſticos eſſe, vel alijs puerperis ſubreptos fœtus. Bodinus etiamſi propter crebram experientiam copulationem Sagarum & equitan-

tium dæmonum concedat, nihil tamen certi de liberis ex ea prognatis affirmat: referens tantùm id ab Hieronymo, Chryſoſtomo & alijs quibuſdam negari, qui putant liberos eſſe ſolummodò in ſpecie humana Satyros, non veros homines. Quid igitur nos hac de re ſtatuendum eſſe pronunciabimus? Id certè quod res ipſa poſtulat. Nempe ſi ex dæmoniaca tali operatione liberi procreantur, requiritur, ut ſemen aliunde Sagis allatum, calore adhuc aliquo ſit refertum, alioquin nihil perfecti ex eo generari poterit. Is enim cauſa efficiens eſt, qui in ipſam ſeminis materiam operatur. Sicuti copioſiſſimè Galenus oſtendit, omne maſculum ſemen efficientis vim tenere. Iſta autem efficientia tota pendet à calore. Hunc autem, ut ſuprà declaratum eſt, extra propria receptacula ſemen retinere nequit. Ergo id quod propoſitum fuit, vix veriſimile videtur. Veruntamen ſi acutius rem perpendentes cogitaverimus, vix perceptibilem Satanicarum motionum, actionumq; celeritatem, non tam alienum à vero putabimus id, quod ex Scholaſticis Doctoribus Thomas Aquinas aſſe-

Gale. in libr. de ſem.

asseruit: insitam videlicet abrepti seminis temperiem ab incubo dæmone conservari posse, propter summam motionis velocitatem. Quinimò si maximè non omnem calorem retinuerit, assumere tamen aliquem iterum posse à semine, cui commiscetur Sagarum. Nec enim puto perfectioris formæ fœtum inde generari, sed deformes tantùm squalidos & planè monstrosos liberos, quos Germanica appellatione **Wechselkinder / oder verwechselte Kinder**/ liberos mutatos nonnulli appellare solent. Quantumcunque autem monstrosi sint, eos tamen veram subsistentiam sive substantiam aliquam habere corporatam, haud veritus fuerim dicere. Nec tamen hîc quæstionis defendendæ gratia, mentionem facere placet ejus quod Paracelsus (in libro de natura humana) scripsit absurdius, quàm quod coram piis auribus proferendum sit, de ijs qui ex semine parentum Soli & ejus radiis opposito generari possint. Ut ut autem hoc sit de procreatione liberorum veluti vocant mutatorum, propositum examen de concubitu Sagarum cum dæmonibus

concludentes, eum propter tam multiplicem atq; frequentem ipſarum Sagarum, & ſæpè ſpontaneam confeſſionem, non ſemper, ſi maximè interdum ſit, imaginarium eſſe: ſed verè & ipſo actu facinus tale ſceleſtiſſimum ſæpè committi arbitramur, ideoq; Sagas huius ſceleris minimè inſontes judicandas & pronunciandas eſſe.

Utrum Sagæ tempeſtatem in mari ciere: item pluvias, tonitrua, ventos, & alia in aëre producere valeant.

Quintum in ſuperiore de effectis Sagarum tradito catalogo membrũ fuit de eo: An mari imperare poſſint ut naves abſorbeat? Et ſextum huic affine deinceps fuit: An eadem virtute dæmonum, aut ipſi etiam dæmones per ſe ventos, pluvias, fulmina, tonitrua, aliasq; aëris tempeſtates efficere queant? De his duabus quæſtionibus, utpote quæ eãdem propemodum materiam conti-

continent, uno deinceps in capite videbimus, ut rerum naturalium contemplatoribus nihil reſtet, quod de effectis iſtis obſervandum & ſtatuendum ſit. Evvichius utrangz, abſque ulla tamen addita ratione negativè concludit, abſolutè & generaliter inquiens: Fruſtrà creduntur Sagæ mari imperare, ut naves, quas jubent, abſorbeat: ventos tempeſtatesq; cum lubet in aëre ciê-re. Veruntamen cum nullam aſſertionum ſuarum cauſam addat: Sagæ verò ipſæ propria & libera ſæpius confeſſione ingenuè referant, ſe facinoroſorum ejuſmodi operum reas eſſe: nobis certè vidēdum fuerit, utrum ex promptuario naturæ ampliſſimo cauſa aliqua depromi valeat. Si imperium ſaltem verbale aut ceremoniale quoddam intelligatur: ego ipſe haud facilè dixerim, eas mari imperare, ut naves in eo ſubmergantur. Quod verò cooperante Satana, & arte Magica, quam ab illo perdidicerunt, uſurpatis mediis quibuſdam naturalibus tempeſtatem in mari, ſi modò Deus permittat, producere queant, hoc eſt, quod nunc inquirere cogitamus. Chriſtus quidem, Dei & Mariæ

Filius ſicco pede ſuper mare obãbulavit, & huic, ut tranquillum eſſet, uno ſaltem verbo imperavit. Quod factum ejus, utpote univerſis creaturis impoßibile, pro ſummo miraculo haberi debuit. Satanam verò vel per ſe, vel per miniſtros ſuos hoc præſtare, ſi quid aliud, planè mirum videtur. E ſacris enim literis manifeſtiſſimum eſt, omnes adverſas aërus tempeſtates, utpote fulmina, tonitrua, grandines, ventos, &c. à Domino exuſcitari, intellige ut malum culpæ, aut pœnam ab ipſo hominibus immiſſam: ſicut & illud Jeremiæ ſonat: Non eſt malum in civitate, quod non ſit à Domino. Ergo, ſi Deus, inquies, omnium aëris meteororum cauſa effectrix eſt, nullius autor erit Satanas. Quomodo igitur efficientiam illorum, & quare Sagis vulgò adſcribimus? Quid, inquam, ad illa dicendum? Princeps hujus ſeculi Cacodæmon, & rex aëris à Chriſto Salvatore ipſo cognominatur, habitans ſcilicet in illo, & nos ubique circumiens. Nempe rex aëris poteſtatem quoque & imperium in eum tenet. Quid igitur mirum, aut quid dubium eſt, quin illum varijs modis movere & turbare

Exodi 1.
Job. 38.
Joſuę 10.
Pſalm. 7.
Jerem. 3.
1. Pet. 5.

bare queat? vel quin celerrima robuſtiſſimáq; ſua virtute, abſque alijs mediis, naves effringere, aut ſub maria protrudere poſſit. Turbato præſertim aëre, in mari navigationem impediri, plurimi mortalium maximo rerum ſuarum cum diſcrimine experti ſunt.

Sed quî, quæſo, aërem turbare illi facile eſt? Videt nimirum quando & ubi exuſcitentur aut exhalent è mari aut alijs terrarum locis vapores exhalationésve, è quibus deinceps nebulæ, nubes & pluviæ producuntur.

Iſtam igitur materiam ſi non coràm ſit in loco, ubi tempeſtatem ciere conſtituit, citiſſimè tamen aliunde adferre, & iſtuc compellere poteſt: vel etiam ventis è terra evocatis ſimpliciter naves, ut dixi, evertere. Veriſſimum tamen eſt, ſi DEUS *nolit, aut non permittat, illum nihil tale moliri, nedum efficere & in actum deducere poſſe. Permittente autem* Jehova Domino, *facilimè celerrimeq; omne iſtud operari poſſe, teſtis eſt* Jobi *hiſtoria, quæ refert, Satanæ*

operatione ignem de cælo cecidisse, quo pueri & oves ipsius comburerentur. Similiter & turbines sive ventos impetuosos oriri fecit, quibus ædificia ejusdem Jobi everterentur. En argumentum potentiæ Satanicæ in efficiendis meteoris firmissimum. Potentem igitur in his Cacodæmonem esse asserimus, sed nunquam, ut antè aliquoties intellectũ fuit, nisi permittente Deo. Permissionem & voluntatem Dei semper præcedere oportet, adeò, ut nec porcis Gergesenorum quicquam incommodare ausus fuerit, potuerit ve, nisi antè à Deo illo permissum esset. Ut elegan-

In lib. de fuga in persecu.

ter etiam asserit Tertullianus: Nec, inquiẽs, in porcorum gregem diaboli legio habuit potestatem, nisi cum à Deo impetrasset, tantum abest, ut in oves DEI habeat. Possum dicere porcorum setas tũc numeratas apud Deum fuisse nedum capillos sanctorũ, &c. Expressè porrò scriptum legitur, operatione illius ignem de cælo cecidisse, id est, virtute, motu, potentia Satanæ: quæ virtus, aut qui motus nihil est aliud nisi efficientia. Ipse igitur effector, vel causa efficiens jure nominatur ignis de cælo cadentis, & ventorum

rum, quibus ædes Jobi destructæ fuerint. Nisi efficientiam hanc & virtutem agendi habuisset Satan: otiosè omnino & temerè verba illa à divino isto viro posita essent, ignē scilicet operatione Satanæ desuper cecidisse. Frustrà etiā ipse Satan à Deo permissionem suorum operum petijsset. Nemo enim operari vel efficere quidpiam facilè tentat, quod non antè persuasum habeat se facere posse. Ergò evidenter satis apparet, Satanam posse excitare fulmina & tonitrua, & similia meteora in aëre. Lutherus quoq; hisce testimonium perhibet in explicatione decalogi. Item in expositione symboli: Possunt, inquiens, Dæmones tempestates tonitruaq; concitare, perdere fruges. Brentius ad decidendam hanc quæstionem ait: Satanæ nec voluntas, nec facultas nocendi deest. Et paulò post. Apud Jobum excitat ignem & ventos &c. Quid, si naturali etiam motu eum ceu physicum ingeniosissimū expertissimumq;, ex causis nimirum physicis, hæc facere posse dicamus? Nam contra naturam ascendentia spirituum (ut Paracelsus ait, Dæmones intelligens) nihil efficere queunt. Quomodo igi-

Brent. in ca. 28. lib. 1. Sam.

Para. ca. 4. lib. de malef. & eorum operib.

do igitur naturaliter tonitrua facit malignus ſpiritus? Quemadmodum videmus, inquit ille, in terris varias ab hominibus artes inveniri meteoricis generationibus non abſimiles. Nempe ut cæleſtes generationes fiunt in cælo, ſic in terra quoq; naturaliter meteorica quædam opera contingunt, & quidem per mineralia. Ut *ſi Salpetra cum aluminoſa ſubſtãtia miſceatur in magna quantitate, & ſuper terram accendatur, priuſquam integrè præparata ſint: tum mixtum hoc in fumũ aſſurgit ad mediam fermè regionem aëris nubẽ in illo generans, quæ per ſe poſtmodum reſolvitur in guttas aqueas, & veram pluviam. Simili modo non impoſſibile fuerit Cacodæmoni, materiam mineralium in montium cavernis locisq; ſecretioribus congregare, & ibidem arte Vulcanica intempeſtatum molitiones fabricari, quæ deinceps in turbines atq; procellas erumpunt naturaliter. Et artes iſtæ plurimum admirandæ ſunt, hominibusq; non uſq; adeò notæ, ſed tamen naturales: quarũ operationibus è ſpecu nonnunquam videre licet ventorum erumpentium tantos im-*

tos impetus eo loco ſe conferentes, ad quem ex pacto licitati ſunt, ut valdè mirum ſit videntibus. Quãdo igitur ſimile quid contigerit, exiſtimandum eſt, Cacodæmones artibus ſubtiliſſimis humanam experientiam excellentibus uſos fuiſſe. Et hæc ex Paracelſo propoſuimus, examinanda tamen plenius alijs phyſicis relinquentes. Ejuſdem verò argumenti eſt, quod ſæpè audimus, quàm ingentem ſonum atq; ſtrepitum majores edant bombardæ hominum ingenijs inventæ, qui mineralia miſcere noverunt. Quis autem hanc artem homines docuit? Natura certè, quæ per tranſmutationem res plurimas alterare valet. In quantum verò hoc poteſt, tãtum quoq; ars ſpirituum, quos dixi, efficit. Et poſtquam ſolvetur univerſa mundi machina: tunc ocularitèr cognoſcetur, multa per naturam & ejus artificium eveniſſe, quæ hucuſq; diabolo immediatè fuerunt adſcripta: qui ne pilum quidem unũ ex ſeipſo propria virtute, citra naturam ſcilicet, album aut nigrum reddere poteſt: Omnia ex naturali tantum ſcientia præſtans. Ut idem Paracelſus eleganter philo-

ſophatur. Taceo veterum quorundam opiniones, qui putarunt etiam ex plantis & animātibus, aliisq; rebus naturalibus ſimul permixtis fulmina & tonitrua fieri. Plinius Secundus refert, ſe in Democriti philoſophorum nobiliſsimi quodam libro legiſſe: ſi caput Chamæleontis unà cum collo, ligno Roboris arboris uratur: imbres & tonitrua derepentè fieri: idq; ipſum uſu venire, ſi jecur ejuſdem animalis in ſummis tegulis uratur. Atqui Gellius hæc eadem ex Plinio repetens, ait: Commenta eſſe & portenta fabularum indigniſsimè in Democritum collata: neq; præſtigijs hiſce à Plinio ſcriptis nomen tanti Philoſophi dignum eſſe putandum. Neq; ego hæc temerè recitaſſem, niſi jam ante in Plinij & Gellij operibus publicè deſcripta haberentur. Quicquid autem de his ſcriptum extet, ſtatuendum eſſe puto, Satanam DEO permittente (aliâs verò minimè) imbres, tonitrua, fulmina, &c. elicere & procreare, & his ipſis tùm fruges terrarum, tum res alias hominum perdere. Verumenimverò dixerit aliquis: Eſto, ſpiritum malignum hæc facere poſſe, hominibus tamen

Plin. lib. 28. natu. hiſt. c. 8.

Gell. lib. 10. ca. 12.

tamẽ factu erunt impoſsibilia. At, inquam, Sagæ quidem ſecundum ſuam naturam ex ſe talia minimè poſſunt, niſi à Satana edoceantur. Utrum verò hic eas non inſtituere queat, *qui nihil tam in votis habet, quàm ut homines omnia malitiæ genera diſcant & exerceant? An contra Sagæ diſcere iſta nequeunt? Poteſt ille docere, & poſſunt hæ diſcere. Quid igitur aliud impediet, quò minus ea quæ perceperũt, quorumq; artem noverunt, in actũ deducere, & ijs uti queant, præter unam DEI permiſsionem, de qua nunc ſæpè diximus? Quod Spiritus iſte per ſuam naturam ſpiritualem celerrimam leviſsimamq; præſtare poteſt, id etiam, ſi voluerit, per miniſtros ſuos tranſigit: ut præter alios Theologos manifeſtè etiã Brentius teſtatur. Hæc, inquiens, aliaq; nõ ſolùm per ſe, ſed etiam per ſua organa poteſt Satanas. Hinc lex ait, Maleficam ne patiaris vivere: quod non juſsiſſet Dominus niſi & Satanas ea quæ per ſe ſæpè facit, etiam per ſua organa tẽtet. Sed quantus ſit, ſubjectus tamen filio Dei eſt. Attendite argumentum Theologi: legem ſcilicet de non ferendis ma-*

leficis, otiosam fuisse, nisi Deus optimè novisset eas plurima nefanda perpetrare, & res horrendas efficere. Quomodo autem effecturæ essent, nisi potentiam efficiendi in se obtinerent? Minimè igitur quod Evvichius his objicit, hîc locũ habet, ubi inquit: Fiunt quædam ex his (scilicet effectis) sed non viribus & opera Sagarũ. Quid enim si maximè propriis suis viribus Sagæ non agerent quidquam, inde tamen non sequuturum esset, illas nihil omninò & planè nõ agere. Negatio enim adjuncti modi non tollit omninò ipsum subjectum. Vel potius negatio causæ efficiẽtis per se & naturalis non protinus tollit causam omnẽ per accidens: sicuti neq; solitariâ negatâ, causa adjuvans vel instrumentaria simul negari debet. Et quid multis? Imperitè, dico, faciunt omnes, qui cum Evvichio simpliciter & absolutè negant, neq; Satanam neq; administras ejus Sagas, ventos aliasq; tempestates cum lubet in aëre ciêre. Rectius verò sentiunt qui illud Neuvvaldi approbãt, ubi inquit: Interdum non sic ludit Diabolus, sed revera exhibentur toxica, perduntur fruges,

procre-

procreantur grādines, fulmina, & similia, ut Deus tanquam carnifice ad justitiæ executionem illo utatur. Et tamen Ethnica eorum hominum est sententia, adcoq; impia & planè diabolica, qui quotiescūq; in æstate vētos, aliámve tempestatem noxiam derepentè oriri vident, eam Satanæ aut Sagis adscribere non verentur. Et hæc de effectis Sagarum in specie, illæsa pietate, & salvo Theologorum inprimis aliorumq; judicio dicta sint: è quibus intelligatur, quid & quantum Magis omnibus & Sagis tribuendum putemus.

Ex his porrò longa hucusq; & prolixiore fortassis, quàm par sit, serie disputatis, luce opinor meridiana universis nunc clarius constare potest, quinam & quales sint homines, quos Magos appellamus, aut eorum fœminæ. Ex effectis enim & operibus efficientis causæ natura, qualitas & omnimoda constitutio facilimè arguitur. Nempe quod sint sceleratissimi, improbissimi, impijssimi, neq; homines ullos, neq; Deum denicq; ipsum vel minimum reformidantes: peccatores, inquam, omnium mortalium

maximi atq; graviſſimi: adeò, ut nullum ferè peccatum excogitari poſſit, quod illi non cõmittere ſoleant, ut antè intellectum fuit. Academicus quidem Philoſophus Cicero acutè diſſerit, peccata omnia eſſe æqualia, quatenus videlicet defectus ſunt humanæ mentis, legibus vel divinis vel humanis contrarij. Verùm ſi accuratè omnia perpendere velimus: nõ poſſumus non longiſſimè inter peccata Sagarum & aliorum hominum diſtinguere. Conjuratores, vatidici, Cryſtalli inſpectores, peccant contra legem Decalogi primam, in eo, quòd Diabolo magis quàm Deo ſerviunt, & hunc idcircò ſolum non venerantur. Alij Deum blaſphemantes per nomen ejus temerè aut falsò jurant, & hanc ob cauſam à Magiſtratu puniuntur: Pectant verò contra legem ſecundam. Qui diebus Sabbathinis contra ordinationem ſui Magiſtratus opera mechanica aliáve tractant, vel ſub concionibus publicas frequentant tabernas, hi violant præceptum Decalogi tertium. Alij ſunt, qui parentibus ſuis, præceptoribus, Magiſtratui, maledicunt, obloquuntur, eos temerè ad

rè adiram provocant, nedum qui eos injuria aliqua afficiunt, aut quacunque etiam turpitudinis nota dehonestant: horum peccata sunt contra legem, qua Deus præcipit, parentes esse honorandos. Alij homicidæ sunt & latrones, qui sanguinem humanum profundunt, contra quintum Dei præceptū. Alij scortatores, adulteri, mœchi, transgrediuntur mandatum sextum. Alij sunt fures, prædones, piratæ, contra septimum. Sunt etiam homines falsarij, falsi testes, qui falsa perhibent alijs testimonia, & quidem contra præceptum nonum. Sunt denig; qui proximorum suorum bonis per fas nefasq; comparandis inhiant & insidiantur, famulos famulásve eorum seducunt, & ad iniquitatem irritant. Et hi omnes ubique terrarum ubicunq; videlicet benè constitutæ sunt Respublicæ, graviter puniri solent. Atqui cunctorum illorum, quos commemoravi, peccata, in Sagis simul concurrunt. Quod si namq; citatas sacrosancti Decalogi leges ordine introspicias, nulla certè Saga est, quæ non contra omnes istas multis modis delinquat. Quis enim si primam illa-

rum legum tabulam reſpiciamus, non animadvertit ex antecedentibus, quàm graviter Sagæ cõtra totam illam peccent, dum à conditore ſuo vero & æterno Deo deficientes, eum ſponte ſua abnegant, abjurant, & quantum poſſunt, ubivis calumniantur, Cacodæmoni ſe totas addicunt, & vel proprio ſanguine adſcribunt, devovent, tradunt, & hunc ſolum auxiliatorem ſuum eſſe credunt, & in omnibus actionibus invocant, dum Dei nomen mille modis in vanum uſurpant: dum Sabbathum nullum ſanctificant, vel ſaltem vano pietatis prætextu templa piorum ingrediuntur. Hæc enim omnia Sagæ plurimæ ſe facere fatentur. Quæ verò unquam graviora peccata ab ullo mortalium committi poſſunt? Hæc, hæc nimirum ſunt peccata in Spiritum ſanctum irremiſſibilia: Deum, dico, non tantùm aliorum inſtar negligere, contemnere, ſed ipſum omnibus etiam modis ſponte & liberrima voluntate abjurare, & hujus loco Diabolum patronum eligere. Pudet hîc propemodum meminiſſe manifeſtiſſimi erroris eorum, qui cum Hamelmanno Theo-

logo

logo ſentiunt non ſemper iſtam abnegationem DEI, & cum Satana conjurationem verè fieri, ſed ſæpius imaginativè, dum Sagæ ſibi ipſis phantaſticè tantummodo perſuaſum habeant, ſe Deum abjurantes cum Satana (ejus ſcilicet præſtigijs faſcinatas) fœdus ferijſſe: quamvis interim Theologus iſte paucis interjectis haud neget, aliquando talem conjurationem & tale pactum verè iniri. Quidcunq; enim de phantaſia illarum ſentiamus, dum tamen ipſæmet ſibi Sagæ hoc perſuadent, & in perſuaſione ſua perſiſtentes, illum, quem dixi, pro Deo colunt, & ſponte quoque ſua hoc omne fatentur: quis, quæſo, eas conſpirationis iſtius non arguet, aut reas habebit? At plerarumque ſpontanea confeſſio ſæpiſſimè atteſtata eſt verè hoc ipſum evenire. O ſcelus igitur ſceleſtiſſimum! O horrẽdum abominandumq; peccatum! O hoſtes Dei plus quàm diabolicos! Angeli ſemel mali facti, hanc naturam retinẽt, ut perpetuò in omnem æternitatem mali ſint & maneant, neque poſſint iterum ad priorem dignitatis ſuæ, in qua conditi fuerunt, gradum aſſurgere. Perpetui igitur,

ſunt Dei & bonorum hominum hoſtes. Homines autem ipſi licet in peccatis concipiantur, & per Adami lapſum peccatores generentur, tales tamen naſcuntur, ut per ſpiritum & aquam regenerati ſuorum peccatorum veniam & remiſſionem fide in Chriſtum promereri queant. Hos ergo, præſertim in hiſce temporibus atq; locis, ubi clariſſima ſacroſancti Evangelij lux per multos hucuſque annos effulſit, à Deo creatore ſuo unico, iterum & quidem ſponte ſua deficere, quis non ſummum & inexpiabile peccatum eſſe exiſtimabit? Ethnicos inexcuſabiles fore Divus Apoſtolus refert, qui Deos plures fictitios coluerunt, eum tamen verum Deum Chriſti Dei Filij Patrem non cognoverint. Quomodo igitur, niſi iniuſtiſſimè eos excuſatos habebimus, qui ſacrarum literarum documentis imbuti, & eruditi, nihilominus denuò volentes & incoacti à Deo vero deflectunt, anté ſcientes unum eſſe Deum puramente venerãdum, hujus verò hoſtem crudeliſſimum eſſe diabolum? Horum hominum peccata qui excuſant ſive defendunt, eaq; tantùm alto ſomno aut imaginationi adſcri-

adſcribunt, & ipſi in Deum & ejus Filium graviſſimè peccant, ſuntq; judices iniquiſſimi. Etiamſi verò ex præmemoratis abundè perſpectum ſit, quænam & qualia quantaq; ſint Sagarum delicta, & quantò aliis graviora: nihilominus tamen, ut ſpecialiore ſignificatione omnibus declarentur, ad tabulam quoq; alteram Decalogi procedemus, & inde cognoſcemus: Sagas fermè univerſas non tantùm contra unum atq; alterum duntaxat ejus præceptum, ſed cõtra omnia ex æquo ſimul enormiter peccare. Quod enim hominum impiorum genus aliud præter illas ipſas, quartum præceptum Dei magis violat, dum ſcilicet ſuperiores, quos revereri, honore proſequi, & quibus ſubjecti eſſe debebant, omni injuria, infamia, turpitudineq; afficiunt. Præterea tranſgrediuntur & quintum præceptum, dum non modò homines venenis ſuis interficiunt, ſed etiam equos, vaccas, ſues, & alia id genus eorum jumenta: & quod horrendum dictu eſt, dum conjunx maritum, & hic contrà ſuam conjugem occîdit, dum proprios ſuos infantes jugulant, ut ſanguine illorum ad

veneficia ſua uti fruiq́ poſſint. Inhumana certè, & plus quàm ferina hæc eſt actio, qua vix ac ne vix quidem crudelior ulla excogitari poteſt, & quæ neq́ cum Buſiridis famoſiſſima ſævitia, neq́ Phalaridis tyrannide conferenda eſt. Quinimò rariſſimè peccata Sagarum innoteſcunt, ſi non etiam cõtra quintum illud præceptum actiones ſuas inſtituant. Ad ſextum ſi progrediamur, quis non ſummoperè admiretur extremam illarum turpitudinem & vitam inhoneſtiſſimam ſceleſtiſſimamq́? quando non naturalibus ſaltem voluptatum illecebris, ſed concupiſcentia plus quàm diabolica incitatæ, nõ modò cum hominibus, verùm etiam cum brutis animantibus, imò (ut in præcedentibus ex propria illarum confeſſione patuit) cum ipſo cacodæmone concumbunt, veneremq́ præternaturalem exercent, adeoq́ diabolum ipſum pro marito, & contra, habent, & amico ſpurciſſimo utuntur. O flagitia flagitioſiſſima! O ſcelera graviſſimus ſupplicijs digniſſima! Horret animus hæc prolixius commemorare. Sed hiſce nequaquã acquieſcentes Sagæ, pluribus quoq́ alijs

alijs peccatis seſe contaminant, ut vel nolle videantur quidquam omittere quod ad cõtemptum Dei & hominũ pernitiem faciat. Quid igitur ulterius? Furta huc accedunt & rapinæ aſſiduæ, à quibus etiam nemo vel ſagaciſſimus diligẽtiſſimusq; paterfamiliâs ſibi cavere poteſt. Si res noſtras benè cuſtodiamus, facilè à furibus alijs tuti eſſe quimus.

At Sagarum furta quis, quæſo, præveniet? quippe quæ ex abditis cellis vinarijs & alijs locis vel optima ratione munitis & concluſis quidlibet auferre ſolent. Pleræq; inſuper præter antè dicta contra octavam ſimul Decalogi legem graviter peccãt, dum nihil non falſi, tum de Deo ipſo, tum de proximis ſuis loquuntur. Adhæc ne una quidem reperitur Saga, quæ nõ pariter nonum & decimum præcepta tranſgrediatur. Scilicet omnes hoc unum fermè cogitant, ut quod aliorum ſit, in ſuam poteſtatem rediganr, & ſuum ſibiq; proprium faciant. Talia igitur, tantaq;, & tam multiplicia Sagarum ſcelera, delicta, peccata ſunt. Ex quibus abundè ſatis liquet, & manifeſtiſſimè,

si quis modò oculos aperiat, videre est, quale hoc hominum genus sit, videlicet omnibus improbitatis impietatisq; generibus cumulatissimè coinquinatum: Satanam pro vero Deo habent coluntq;: Nomen Dei in vanum semper sumunt: Sabbathum nullum sanctificant: Parentes, & qui horum nomine intelliguntur, nequaquam honorant: Alios homines occidunt: Scortantur, mœchantur: Furta faciunt: Falsa tantum testimonia dicunt: Maritos vicinarum, vel contrà uxores vicinorum proximorúmve concupiscunt: Domos possessionesq; aliorum appetunt, famulos famulasq; illis abstrahunt, & nihil non aliud quod impium sit, perpetrant atq; faciunt. Omnes igitur peccatores, id quod antè demõstrandum susceperamus, cum Sagis minimè conferendi sunt. Cur enim hoc ingenuè non faterer? Nulla in tota rerum universitate creatura tam horrenda, tam abominanda, detestandaq; ut quævis Saga est. Nihil à Deo conditum est post Satanam pernitiosius, nihil humano generi magis noxium, nihil denicq; magis fugiendum. Venenosa

animan-

animantia, & venena ipsa morbosq; pestiferos metuimus & reformidamus. Cur igitur Sagas potius, quæ omni malo, venenoq; pestilentiores sunt, nõ aversamur, odio prosequimur, & quantumcunq; licet fugimus? Natura illarum mortalibus inimica est. Effecta quoq; & universæ operationes inutiles sunt. Quamobrem indignissimæ habeantur, quæ hominum societate frui debeant. Sed quare finem non facio? Si enim omnium vel eloquentissimorum Oratorum facundia in me esset, non satis tamen ut merentur, suis coloribus Sagas depingere describéve possem. Quibus probè consideratis non possum non iterum iterumq; Joannem Wierum mirari, qui ut peccata illarũ extenuaret, & illis gratiam benevolentiamq; apud Magistratum conciliaret, omnes earum actiones ex mera tantùm imaginatione & sola phantasia dormitantium procedere docuit, utpote quæ somnient solummodò se ea, quorum arguuntur, fecisse, nihilq; eas verè & actualiter præstare aut producere posse. Quod enim aliud illius studium? quæ doctrina? quis finis propositus

fuit? quàm ut culpam earum imminuens, adeoq; omnem in fascinationem Satanæ transferens, definita impunitate eas à pœna promerita liberaret, artemq; & societatem Magicam promoveret, ac ubiq; terrarum auctiorem redderet. Si quid modò liberè mihi dicendum sit, ego certè unà cum Bodino suspicor Wierum istum eorũ omnium quæ Sagis tribuuntur gnarum, socium reumq; fuisse: Magum scilicet atq; veneficũ magos & veneficos reliquos defendisse. Satius igitur & longé melius esset, illum in hoc mundo nunquam natum fuisse, aut saltem nihil unquam scripsisse, quàm scriptis suis occasionem peccandi tam multis hominibus alijs præbere, & regnum Satanæ longius amplificare. Decipiuntur autores scriptoresq; universi, qui opiniones istas Wierri de effectis Sagarum ratas verasq; esse statuunt. Deceptus est hoc modo Thomas Erastus: decepti sunt alij. Deceptus es etiam cum illis Evvichi, ut falsissimè dixeris sub finem tractatus tui primi, omnia fascinationi potius Satanæ esse tribuenda quàm artificio aut efficientiæ Sagarum. Axioma hoc

est fal-

est falsissimum. Fallũtur denique judices qui sententiam eandem approbantes simile judicium proferunt. Hæc fuerunt, Evvichi, quibus contra primã militiæ tuæ (& Neuvvaldi) Magicæ classem contendere visum est: firma nimirũ & solida propugnacula, quæ veritatem litis & disceptationum de natura & effectis Sagarum tueri & defendere possunt. Victa est ista tua classis. I igitur Evvichi, I & Neuvvalde,

I nunc & verbis virtutem illude superbis.

LIBER SECVNDVS

DE INQUIRENDIS per certa ſigna & rectè cognoſcendis examinandisq; Sagis.

VBI

De purgatione earum per aquam frigidam.

ADhuc de natura & poteſtate effectisq; Sagarum: deinceps de indicijs & ſignis earundem, quomodo nimirum cognoſci & examinari ritè debeant, ſequetur. Cum enim ex antecedentibus abundantiſsimè perſpectum ſit, eas plurimorum nefandorum operum effectrices eſſe, ut impunitæ nunquam dimitti debeant: neceſſarium ſané erit, ut comprehendantur,

dantur, ritè examinentur, & si reæ sint, è communitate societateq; vitæ tollantur. Hoc autem quomodo fieri poterit? quomodo inquam sciri poterit, quinam maximè scelerum & criminum ejusmodi intolerabilium rei sint, nisi certis quibusdam observatis signis atq; indicijs hoc ipsum exploretur? vix enim unquam reperias vel unum Magum sive Sagam unà quæ se ipsam prodat, accuset, aut quæ Magicas suas operationes alijs manifestet atq; revelet. Quamobrem etiam antequam ad pœnam procedamus, de inquisitione earum aliquid in hac parte videndum fuerit: ubi simul ad secundam partem tractatus Evvichij, quantum fieri poterit, brevissimè respondebitur. Sed res copiosior quoq; nobis cum Neuvvaldo hic expedienda erit, qui integram suam exegesin examinis Sagarum aperto titulo contra nos scripsit. Agedum igitur Evvichi tecum primò acturi classem seu stationem tuam secundam perlustremus, ut militiam quoq; nostram melius inchoare & ordinare queamus. Videamus quænam in principio secundæ stationis tela collocasti? Qualis tua est

Sagarum inquisitio? Quomodo eas cognoscere doces? Signa abs te communiter secundum Medicorum quorundã distinctionem duplicia proponũtur: pathognomonica quæ naturam & vires morborum: & diagnostica quæ differentiam horum ostendunt. Sed quia hæc non omnibus nota, parum ad rem faciunt, illis omissis nos ad dictamen rectæ rationis sive logicæ conspicientes, signa Sagarũ considerabimus tum communia, tum multo magis propria. Communia dicimus quæ in aliorum quoq; sceleratorum inquisitione observantur: qualia abs te Evvichi recensentur: Rumor vulgi: aliorum testimonium: acta publicè observata & manifesta, & confessio Sagarum. Propria vero nominamus: notas quas dicunt corporibus illarum seorsim impressas: & quæ abs te vocantur experimenta: utpote injectionem in aquas frigidas & alia ejusmodi. Ad communia signa quod attinet: primo de vulgi rumoribus & testimonijs pleni sunt libri autorum tum aliorum tum jurisconsultorum, copiosé interpretantium quando & quanta fides testimonijs & quibus maximé

ximé teſtibus adhibẽda ſit: é quibus uberior illorũ explicatio peti poteſt. Sæpenumerò q-dem contingit ut vulgi rumores & publica quæ ſpargitur fama Magos Magasq; ſiue Sagas alijs hominibus ſignificet: quã ſi Magiſtratus percepit, officij ſui ratione de ijs pleniùs inquirere, easq; cõprehẽdere cogitur, ut zizania hæc è terris eradicẽtur. De his igitur rumoribus & de fama publica perpendendũ eſt ante omnia quod Poëta canit, inquiens:

Fama malum quo non aliud velocius ullum,
Mobilitate viget, viresq; acquirit eundo.

& pauló poſt ſub finẽ ejuſdem deſcriptionis:

Tam ficti praviq; tenax quam nuntia veri.

Fama, inquit, non minus res fictas & planè falſas, quam verè contingentes ſæpenumerò hominib. annunciat. Argumentũ itaq; ſive documẽtum rerum inquirendarũ plurimarũ ſed ſæpe incertum fama eſt. Quamobrem etiã huic non temerè neq; ſoli ſemper fidendũ fuerit: ne innocentes puniantur, nocẽtes verò impuniti dimittãtur. Quid igitur in his faciendum? Magiſtratus diligentiſſimè explorabit eos, à quibus talem aliquem rumorem cognovit, & deinceps cõſiderabit quales ſint iſti teſtes, & quænam eorum teſtimonia.

De his autem regula generalis hæc diligenter attendenda est. In civilibus & forensibus rebus testimonia plerunq; fidem faciũt, si contestantis prudentia, virtus & benevolentia adfuerint. Ex qua unica regula plures aliæ speciales à Jurisconsultis extruuntur. Inde enim colligitur prudentibus tantùm & sapientibus præcipué credendum: pueris econtrà minorem: fatuis stolidisq; hominibus, adeoq; furiosis omninò nullam fidem habendam esse. Ignorant siquidem illi quid loquantur, aut quid rerum sæpè testentur. Deinde virtutis nomine intelligitur specialiter probitas atq; veritas: & præcipitur ijs potissimùm fidem esse habendam qui probi sint, honestatem vitæ veritatemq; inprimis spectantes: contrà improbis & alioqui mendacibus minimè credendum. Qui enim mendacio gaudet, is de aliorum veritate ad defendendam honestatem testimonium ferre non potest. Tertiò in testimonijs etiam consideranda est benevolentia: hunc in modum ut videatur, quomodo testes affecti sint erga eos de quibus testari debent: an malevoli sint, an inimici

& ho-

& hoſtes. Tales enim ut plurimum mendacia proferre ſolent in perniciem eorum quibus malè cupiunt. Ut autem hæc in rebus civilibus & forenſibus controverſiis omnibus: ita in his præcipuè cauſis quæ Sagas cõcernunt ſimul perpendenda veniunt. At Sagæ, inquies, horũ omnium expertes ſunt, neq; prudentes neq; probæ & veraces ſunt, neq; ullis mortalibus benè cupiunt. Diabolus ſiquidem, ad cujus nutum vivunt, & cuncta faciunt, ab initio homicida & mendax eſt, nihil niſi perniciem humani generis quærens. Quod ſi igitur hæ alias Sagas indicent atq; proclament, quænam fides ijs tribuenda? Fides certè exigua illis habenda eſt: at quæ aqua & igne, ſeu capitis ſupplicio teſtimonia ſua confirmaverint, & in confeſſionibus ſuis ad extremum uſq; vitæ ſpiritum perſtiterint, ijs plerunq; credere ſolemus. Magiſtratus itaque cautè & circumſpectè prudenterq; in his aget: ne ſi unus aliquis Magus aut Saga una alios itidem ſuorum ſcelerum ſocios ſociásve cõfiteatur: ipſe unius alicujus ſtans teſtimonio abſque aliarum circumſtantiarum conſideratione eos

protinus reos esse judicet atq; condemnet. Si tamen plures ejusmodi ante mortem suam de alijs testimonium perhibeant: Magistratui pro suo officio inquirendæ veritatis gratia accusatos illos comprehendere permissum esse potest: & licitis, de quibus deinceps agetur, medijs in illos pleniùs inquirere. Quot verò, inquies, numero testes in hac causa requirentur? Christus ait in ore duorum aut trium consistit omnis veritas. Juriscónsulti septenarium plerunq; numerum postulant: adeó ut unius vel inculpati hominis testimonio vix unquam acquiescere velint. At hujus rationem ex superstitione potius quam ex veritate originem traxisse arbitror, eorum videlicet qui septenarium quodammodo sanctum habent.

Si rectè judicare velimus: indefinitus per se testium numerus esse potest. Lemgoviensis Reipub: præsides, consules & consulares penes quos imperium fuit, proximis hisce annis summâ in hoc inquisitionis genere prudentiâ adhibuerunt, eas tantummodo Sagas cõprehendi & carceribus mãcipari faciẽtes, quæ á pluribus simul post confessio-

feſsionem deinde ſuam combuſtis accuſatæ eſſent. Inconſultũ itaq́, illiberale, adeoq́ iniquiſsimum, Evvichi, tuum eſt de ijs judicium, qui verbis Epiſtolæ meæ minus dextrè intellectis conſules illos iniquitatis non ferẽdæ & impietatis arguis: quod ego dixerim trium Sagarum, quæ me videlicet Lemgoviam adventante mortis ſupplicio affectæ eſſent teſtimonijs mox tres alias accuſatas, comprehenſas, & incerto experimento expoſitas eſſe. At quid quæſo, Evvichi? Dixiné ego ſolummodò trium iſtarum quæ illo die crematæ ſint teſtimonio tres reliquas accuſatas condemnatasq́ fuiſſe? Depravatè omninò verba mea repetiiſti, & in alienum ſenſum detorſiſti: quod an hominis ſit ingenui nequaquam video.

Non dixi tribus iſtis, quas commemoravi, interfectis videlicet propter earum tantummodò accuſationem mox etiam cæteras à lictoribus eſſe comprehenſas: ſed poſt mortem illarum trium, alias inſuper tres, quas tum priores iſtæ, tum ante iſtas aliquot aliæ ceu ſocias nominaſſent, decreto Senatus carceribus incluſas eſſe. Si aliter

locutus essem, summam ego Lemgoviensis Reipub. Consulibus, Domino Henrico Floriken inprimis, & Domino Theodoro Cothmanno viris prudentissimis injuriam facerem: qui tamen quidvis aliud quàm hoc ipsum de me dici vellem. Jurisconsultos proinde asseris non temerè quosvis ad ferenda testimonia præsertim in criminalibus admittere, nominatim autem excludere infames & hostes: neminem verò magis infamem esse quàm Sagas, ideoq; exclamas minimè standum esse illarum confessionibus & testimonijs. Ratio additur: quia nihil nisi exitium quærunt. Bellé sane. Esto hæc sententia Jurisconsultorum eorum scilicet, quos tu saltem legisti aut cognovisti. Quod si autem rata & catholica hæc sententia haberi debeat, ut nullis Sagis credendum esse existimes: sequetur nullum etiam furibus, nullum latronibus & homicidis qui alios fures, alios latrones vel sponte vel coactè deferunt, fidem habendam esse. Omnes enim hi infames sunt, & aliorum infamiam & exitium quærunt. Neq; unus propemodum eorum est, qui si interficiendus sit, mortis sua

socium

ſocium habere non optet. At hæc cunctorum fermè ad Rerumpublicarum gubernacula ſedentium in foro conſuetudo eſt, ut quos à furibus, latronibus, monetarijs apud ſeſe deferri audiunt, in eos quoque animadvertendum eſſe juſtè judicent. Res hæc notoria eſt, ideoq; pluribus ſpecialibus exemplis eam comprobare, haudquaquam opus eſſe reor. Et quidni, quæſo, juſtum hoc eſſet? niſi omnes iſtos, de quibus dixi, & id genus alios ſceleſtiſſimos homines ſuperſtites vivere velis? Sequetur denicq;, ſi in propoſitam tuam ſententiam nobis eundum ſit, nihil unquam Magis & veneficis vel de exhibitis à ſe venenis, vel de equitatione aut ſaltatione, vel de cohabitatione dæmonũ aut cæteris ejuſmodi quæ fatentur facinoribus credendum, adeoq; omnem illorum ſcelerum confeſſionem irritam habendam fuiſſe, quod tamen abſurdiſſimum eſſe quotidiana experientia vel meridiana luce clarius oſtendit, & apertiſſimè teſtatur.

At verò alij ſaniores judices plurimi non iniquum eſſe cenſuerunt, ſed permiſcrunt, ut ex alijs qui eorundem ſcelerum ſimul rei

consortes & socij essent in alios testimonium atq; probatio peteretur: hanc maximè ob causam, ne plurima peccata hujusmodi impunita dimitterentur. Quamobrem si argumentum comprobationis majorum respicias: videlicet si in causis civilibus de adulterio, furto, cæde, homicidio, licitum sit insontes testimonium perhibere: multo magis in gravioribus causis id permitti posse: nihil omnino vetat quin & Magi contra Magos, Sagæ contra Sagas (maximè si accusatores ejusmodi plures sint) testimonium dicere possint. Hac sola insuper observata cautela, ne notorium & capitale odium extra magicam artem & societatem inter eos deprehendatur. Longè enim gravior hæc, de qua nunc cõtrovertitur, causa est. Quippe quæ crimen læsæ majestatis est non tantum humanæ sed & divinæ. Solertissimè igitur Bodinus & rectissimè de ejusmodi testibus conclusivè inquit: In tam horrendo crimine nihil necesse religiosè hærere quenquã regulis procedendi aut refellendorum recipiendorúmve testiũ ordinarijs. Viden igitur, Evvichi, quàm prudenter hoc in loco sci-

co scilicet disserueris, quàm graviter & iniqué Lemgoviensem Senatum accusâris. Sed hæc facessant.

Tertium in ordine inquirendarum Sagarum signum esse dixi, acta publicé observata & manifesta. Sæpenumerò siquidem plurimæ hoc signo deprehensæ sunt: ut quæ post corporis sui certo aliquo unguento factam inunctionem avolare in aërem visæ sunt, quæ igne in campis extructo aërem perturbare & ciere tempestatem observatæ sunt.

Inter alia autem signa inquisitionis Sagarum, validissimum atq; certissimum est spontanea confessio, si proprio motu scelera sua Sagæ confiteantur. Tum enim nihil omninò prohibet, quò minus sontes pronunciari & condemnari debeant.

Confessionem spontaneam intelligo illarum, quæ reas se esse fatentur, præcipuè videlicet antequam rogentur, & in confessione hac sua deinceps persistunt.

Sæpe enim contingit, ut spe consequendæ impunitatis fateantur scelera

ſua, eademq; deinceps ſi videant promiſſa ſibi nequaquam ſervari, rurſum negent. Omnibus igitur modis attentandum eſt, utrum poſſit ab illis ſpontanea iſta confeſsio elici. Quoniam verò confeſsiones pro perſonarum, locorum, temporum, aliarumq; circumſtantiarum varietate plurimùm differunt, illarum quoque omnium æqui judices diligentem rationem habebunt. Hîc autem error illorum judicum graviſsimus notandus eſt, qui vel ſponte ſcelera ſua confitentibus Sagis fidem habendam eſſe negant, quæ ijs videntur contra naturã feciſſe: ut quando ajunt ſe cum Satana rem habuiſſe veneream, ſe per aërem aliò volitaſſe, tonitrua excitaſſe, & quæ horum ſunt ſimilia. Sagas enim illorum omnium reas argui poſſe, in præcedẽtibus firmiſsimè demonſtratum eſſe puto. Quænam enim alia inquirendarum ſceleratorum hominum certior ratio eſſet, quàm quæ ex propria confeſsione oritur? cũ hæc cunctorum mortalium natura ſit intentatum crimen negare potius quàm confiteri, ſi necem ſibi vident ob illud parari. Quod ſi verò monitæ Sagæ ſuapte ſponte

peccata

peccata ſua fateri nolint, eas ad quæſtionem civilem rapiendas eſſe Juriſconſulti plerique ſtatuunt, ut violentia quadam veritas ex illis extorqueatur. At hîc certe ſingulari induſtria ſummaque prudentia opus erit propter diverſiſſimas perſonarum qualitates, & quantum ad vires ſeu robur partium corporis attinet, diſpoſitiones facilius ſcilicet vel difficilius violentam ejuſmodi quæſtionem ſuſtinentium.

Quapropter non ſatis congrua videtur illorum judicandi ſolennitas, qui omnes eos indifferenter abſolvere á criminibus ſolent qui in examine tali nihil confitentur. Multi enim quod norint ante, ſe nihil confitentes à judicibus abſolvi, fortiter illam perferre omni conatu ſtudent, ut taceant potius ea quoque, quorũ optimè ſibi conſcij ſunt, quàm ultimum vitæ ſuæ periculum ſubire debeant, aut velint. Quemadmodum ipſe aliquando in celebri quadam civitate obſervavi, reum quendam homicidij multis incolis perſpectiſſimè noti, cum illud violenta quæſtione examinatus fortiter negaret, inſontem judicatum eſſe. Ita conſuetudo in

judicijs quoq; veritati ſæpenumerò præfertur. Quamobrem hanc inquiſitionis probationisq; rationem olim etiam præter cæteros Cicero reſpuit, & pro nihilo faciẽdam eſſe duxit, ut videre eſt in loco illo orationis pro Milone, ubi ait: Heus, ubi Ruſco, ubi Caſca? Fecit? certa crux: Non fecit: certa libertas. Intelligit nimirũ ſive faſsi fuerint rei, ſive non faſsi incertam nihilominus eſſe hanc probationem. Quid quod experientia in ipſis Sagis oſtendit, eas ſi maximè tormentis cogantur nihil fateri, & poſtmodum tamen ſponte omnia teſtari? Vel etiam quæ violenter coactæ dixerint denuo negare? ita nimirum á Satana perſuaſæ. Judicium igitur inde petitum quadantenus incertum eſſe poterit, ut à nonnullis etiam jureconſultis pro incerto habetur. Multò minus idcircò Labeonis illam legem (quam Evvichius in hac parte ſequi conſultius eſſe opinatur) omni ratione probãdam eſſe duco, ubi ſancit ut quæſtiones ejuſmodi adhibeantur non ad indagandum principale factum, ſed tantum ad cognoſcendas circumſtantias & alia quædam præter intentatum

tatum crimen, cum de hoc constiterit prius. At quis non facile videt si incertum sit inquisitionis genus adeoq; crudele, hominis alicujus factum, cujus principaliter reus habetur, civili & violenta quæstione cognoscere, longè quoq; crudelius esse membra illius omnia propter alias circumstantias & minus principalia delicta neque intentata discerpere & ad necem usq; dilaniare? Si igitur hoc consultum esse putaveris Euvichi, prius illud multò consultius etiam judicandum fuerit, Sed reprobas istud: Ergo neq; alterum, quod Labeo sensit, rectè consulere poteris. Quandoquidem autem hic explorandarum Sagarum modus é jure scripto plurimis probatur: diligẽti aliarum omnium circumstantiarum consideratione cavendum, ne quid agatur aut judicetur, cujus Deo tandem judici justissimo aliquis rationẽ reddere cogatur. Sed quæ ulterius observanda sint circa hanc confessionem, quia plenis libris juriscõsulti descripserunt, & ex his ingeniosissimé Bodinus repetijt, nos hoc in loco brevitati studentes copiosius edocere non opus esse cogitavimus. Unum

hoc ſolummodo adjiciendum videtur. Sunt qui ad explorationem Sagarum tormentis rectè faciendã ſpecialiter in more poſitum habent, ut pilos ab omni corporis Sagarum parte abradendos cenſeant, veſtesq; illarum mutandas eſſe: hac perſuaſione quod tum demum ea quorum reæ habeãtur, citius indicaturæ ſint. Et hunc exploranda confeſſionis morem Bodinus præ cæteris comprobare videtur. Quod ſi, inquiens, nihil fateantur Magi, tum mutandæ veſtes & pilus omnis radendus eſt: & ita ad interrogationem veniendũ. Et paucis interjectis: Nam inter omnes convenit Magis pharmaca taciturnitatis eſſe: & quamvis diabolus eos confirmet, ipſi tamẽ amiſſo pharmaco quaſtionem á ſe ferri non poſſe putantes, quadam deſperatione plurimum ad dicendam veritatem ſine tormento adducũtur. Idem approbat Sprengerus inquiſitor: Si Magus inquiens, penes ſe ſilentij ſortem habuerit, eum ad tormẽta nihil doloris experturum, neq; veritatem unquam confeſſurum. Anni centum ſunt, quando Cumanus inquiſitor unam & 40 Sagas dãnavit, quæ omnes

Bod. li. 4 cap. 1.

In mall. malefic.

abraſis

abrasis pilis & mutatis vestibus absq; ulla quæstione violenta confessæ fuerunt. Idem Domitianus olim Imperator observavit in Apollonio Tyaneo Mago: observarunt & alij. Evvichius verò hanc doctrinam ait à Carnificibus ortam esse, quibus quod ex hominum supplicijs quæstum aucupentur, parum fidei debeatur: quam tamen originem nescio quo argumento demonstrare possit. Atqui à quibuscunq; introducta sit, si certis rationibus omnia æstimanda sint: fateor me de istius silentij Sagarum sorte & ejus certa ratione plurimũ adhuc dubitare. Cur enim crederemus illam in pilis earũ absconditã hærere potius quàm in alijs partibus, nisi putemus Satanã pilosas illarum partes potius præ reliquis unguento taciturnitatis inungere, ne scilicet unguentum illud inter pilos facilè citoq́; deprehendatur. Aut nisi hanc rationem quispiam admittere velit, quod quemadmodum in capillis olim Samsonis robur & fortitudo ejus quasi inclusa consistebat, sic pilis quoq; Sagarum singulare quoddam corporis robur præcipué insit, ut gravissimos etiam cruciatus facilius to-

Philostr. Lemn.

lerare queant. Verùm experientia testata
est multas confestim ante ullam pilorum
abrasionem crimina sua confessas esse. Imò
Magdalena Crucia quædam Cordubensis
Abbatissa, cum se plurimúm suspectam es-
se artis Sagarum nomine animadverteret,
seipsam cõsortij cum Satana triginta annis
habiti accusavit, quando nulli adhuc opi-
nor pili ejus abrasi essent. Et hæc de signis
inquirendarum cognoscendarumq; Saga-
rum cõmunibus dixisse suffecerit. Propria
deinceps diligentius explicanda veniunt,
de quibus major contentio & nobis propo-
sita disputatio est. Numerantur autem pro-
pria ejusmodi signa, quorum observatione
Saga certò cognosci possint varia: sed multa
in horum ordine satis frivola & inania aut
planè ridicula: ut sunt: si ad saltum cribri
Saga explorentur: si puerorũ, qui templum
adeunt, novi calcei axungia perungantur
suilla, aut res quædam aliæ templorum li-
minio substernãtur, ne Saga possint egredi.
Item quod vulgus putat, eas ex solo aspectu
cognosci posse, propterea quod pleræq; vetu-
la aliorum obtutum effugientes semiclausis
oculis

oculis conniveant, ne per signa oculorum prodantur: quod tamen si fiat, Neuvvaldus fieri potius contendit propter conscientiam intus simulantem & de scelere conscios admonentem: quemadmodum fures etiam oculorũ demissio sæpé prodit. Quamvis fieri quoq; posse dicat, ut falsó persuasæ á diabolo de signo quodam in oculis sibi metuant, compressioneq; eorum revelationis periculum avertant. Bodinus hoc indicium non omnino contemnendũ esse statuit, quia vultum inquiens Magi ferè designat, nec in os audent aspicere. Porró & illud signum fallax esse putamus, si per Magos & carnifices Sagæ & veneficæ convocantur, & in unum agmẽ coguntur, ut hac ratione omni populo manifestentur. Qui enim hoc posse putantur, quidni etiam insontium mulierum speciem fictam uná cum sontibus exhibere posse crederentur? Alterius autem generis & certius est illud, quod creditur Sagam non flere: quod signum Paulus Grillãdus & inquisitores publici validissimam præsumptionem esse putarunt. Saga quædam Antonio Lonanensi regio apud Ribe-

montenſes vicario confeſſa eſt, Sagas é dextero ſolum oculo ternas lachrymarum guttulas effundere. Quomodocunq; autem ratum certumq; hoc ſignum habeatur, non tamen niſi ante accuſatæ comprehenſæq; illo ipſo probari poſſunt. Certiora quoq; ſigna Sagarū ſunt notæ nonnullæ ſingulares corporibus illarum in certis quibuſdam partibus impreſſæ. In Epiſtola mea de purgatione Sagarum é Plinio citavi, in Ponto inſula eſſe Thibios quoſdam populos, in quorum altero oculo imago equina, in altero gemina pupilla apparet: quæ magiæ ſigna habeantur apud eos certiſſima. Evvichius autem de hiſce imaginibus utrum ludibrio Satanæ aliquando fiant, apud Ponticolas utpote gentem Dei ignaram ſe nolle diſputare aſſerit. Sunt qui referant ſtigmata quædā poſt aures Sagarum: ſed ea tamen haud omnibus apparere. Triſcalanus quidam recenſente Bodino dixit, Magis impreſſum eſſe ſignum quaſi veſtigium leporis, cui quamvis ad oſſa, uſq; indatur acus, locum tamen ſenſus expertē eſſe: & hoc indicio ſe plurimos magos patefeciſſe. Et ex his indicijs deſumptā præſum-

præsumptionem esse firmissimam & cum aliis sufficientem, ut procedatur ad condemnationem, Bodinus ait. Addit autem; Ego tamen, inquiens, cum Danæo sentio principes quosq; Magos carere signo, aut illud habere loco tam abdito, ut eos per hoc detegi difficilimum sit. Nam á Valesco quodam nobili viro accepi, quosdam á Diabolo sub palpebrarum altera, quosdam sub uno ex labijs; quosdam in podice obsignari. Hæc ille. Danæus putavit Satanã ijs tantum notam inurere, quos metuit pactum suum deserturos, alijs verò quos constantes fore sperat non item. In viris tamen notam ejusmodi apparere, ut plurimum in dextro humero, inter labia, in palpebris, nonnullis in sede, ut non facile revelentur. In fœminis ad femur, sub axillis, aut in genitalibus. Quid autẽ nos de indiciorum illorum certitudine dicemus? An certa & absolutẽ vera esse talia judicabimus? Neuvvaldus de hisce signis, præsertim verò Thibiorũ: præstigiosum, inquit, hic quidpiam occurrit: necessum enim est, ut isti homines aut tales nascantur, aut postea tales evadant. Si ta-

les naſcuntur, fatendum eſſe putat Diabolum in generationis opere ſuas oſtentare & exercere vires, quod tamen ſoli Deo ſua mirabili potentia in hoc opus incumbenti rectè adſcribendum ſit, præſertim quod homines iſti pactum ſuum, quando in utero formantur, nondum cum Satana inierint, ſed tum demum quando rationis compotes fieri inceperint. Si verò poſtea tales evadũt, in quæſtionem venire putat, utrum ſpiritus malignus poſſit unicam particulam ingeminare, aut novã conformationem priori adjungere, quod ipſi æquè impoſſibile videatur eſſe atq; prius. At, inquã, hunc Neuvvaldi ſyllogiſmum analyticè examinando videndum fuerit, utrum aſſumptionis ejus demonſtratio ſit firma conſtãterq; vera. Syllogiſmus disjunctæ propoſitionis hic eſt: Si certæ notæ Sagarum erunt: aut naſcentur cũ illis, aut poſtea orientur: Sed neq; naſcuntur tales, neq; poſt illis imprimũtur. Ergò notæ ejuſmodi in corporibus Sagarum eſſe nequeunt. Prior pars aſſumptionis, ut obſervatum eſt, ex eo probatur, quòd Cacodæmon in hominis generatione pro nutu nihil

nihil posſit fingere vel immutare. Verum enim verò quænam & qualis hæc eſt demonſtratio? Qualis & unde extructa hæc eſt conſequentia? Cacodæmon nullam notam ſive imaginem humano fœtui in generatione ejus poteſt imprimere: Ergo nullæ prorſus notæ ſingulares Sagarum corporibus ingenerari poſſunt. Alterum propoſitionis membrum, videlicet quòd imagines equinæ in Sagis poſt ortum oriuntur, hoc modo cõprobatur: Si, inquit, poſtea tales evadũt, ſequetur ſpiritum poſſe unicam particulam ingeminare, aut novam conformationem priori adjungere. At veró hoc æqué illi poſſibile eſt atq; prius. Ergo nec illud, ut notas iſtas Sagis imprimat. Sed hoc equidem non omninò negandum putaverim, ſcilicet ſpiritum unicam aliquã corporis particulam geminare poſſe, aut novam conformare. At quid prohibet, quó minus ſimilem adhuc aliam pupillæ ſpeciem oculo imprimere poſſit, ut gemina pupilla deinceps aſpectantibus appareat? Quid veró ſi Deus illas ſignis ejuſmodi notet, ut hiſce Magiſtratui populóq; omni innoteſcant atq; prodantur? An

hoc dictu tam absurdum esse Neuvvaldus existimaverit? An blasphemũ? an impium? Quid quod metipse post finem propositi syllogismi subijcit hæc verba? Interim nullo modo negandum esse, Diabolum post manuum stipulationem, oscula & amplexus, corporibus veneficarum stigma quoddam certissimum pacti signum inurere & imprimere, quo tanquam sacramento eas sibi obstringit & arctius devincit. Et porrò: fatentur, ait, uno consensu hoc omnes: an autem omnibus in una parte corporis hoc signum figat, non adeò clarè liquet. Hæc enim illius verba sunt: quæ si antecedentibus ritè opponantur, sententia eorum omnino contradictoria est. Qui enim fatetur diabolum stigmata quædã corporibus Sagarum ut certissima initi fœderis signa imprimere: & juxta negat eundem oculis illarum imaginem equinam aut aliud signum indere posse: quid aliud agit nisi quod sibi ipsi contradicit, modò scilicet affirmans, modò negans idem. Posito & affirmato genere, species inepté & ἀλόγως negatur. Si quælibet stigmata, id est quaslibet notas, maculas, cicatri-

cicatrices cacodæmon ſuis ſervis notandis inurere poteſt: haud impoſſibile etiam illi fuerit in oculis eorum equi ſpeciem aut formam effingere. Atqui prius eſſe Neuvvaldus concedit. Ergo & alterum fateri cogitur. Σπιλμάτων enim nomine cum Dioſcoride non tam puncta ipſa, quàm punctis variatam ſuperficiem, & maculis alijs decoloratam cutim intelligo. Et σίγειν, unde σίγμα derivatur, eſt ſignare, maculus ſpargere & diſtinguere. Multus porro Neuvvaldus eſt in refellendis ſignis atq; indicijs aliarum rerum explorandarum, utpote cognoſcendi Lycaones, & alia ejuſmodi. Multa itidem diſputat de more Celtarum, qui recens natos infantes in aquas projecerunt. Item de exploranda futuri anni vita; de virga aurea ſive fortunæ in exquirendis venis metallicis uſitata. Atqui hæc omnia nihil nunc ad noſtrum inſtitutum pertinẽtia, & mentem attendentibus per ſe intellectu facilia, brevitatis gratia ſtudiosè omittemus. Aliarum enim rerum vanitates non protinus arguunt hanc, de qua nos agimus, rem vanam quoq; & ſuperſtitioſam eſſe. Quod ve-

Dioſcor. l. 3. c. 209

rò addit de reis ad corpora occisorum adductis, ad videndum si sanguis effluat, &c. hoc experimentū aqué superstitiosum esse: de eo deinceps oportuno in loco seorsim agemus. Sed hæc forsan æquo copiosius. Ad signum deinceps aliud Sagarum progrediemur, quod sumitur ex injectione earum in aquas frigidas. Vulgò purgationem per aquam frigidam vocant. De hac enim nunc major controversia oritur inter recentiores scriptores, & quos inprimis attinet judices, quasi de novo inquisitionis modo: Utrum scilicet hic licitus & approbādus sit nec ne: & utrum verè illas indicare possit. Ac sanè hoc opus, hic labor erit, ut cū Poëta loquar, propter plurimorum gravissimorum judicum, aliorumq; clarissimorum virorum, qui in cathedris universitatum docent, autoritatem, certam definire sententiam: & quidem propter eos, quibus nihil nisi quod ipsi suo ingenio inveniunt, atq; intellectu suo percipiunt, placere solet. Et ingens præcipuè mihi hîc certamen erit contra Evvichium, & simul contra Neuvvaldū Helmstatiensem, qui hanc inquisitionem aut hoc indi-

iudicium Sagarũ planè nihili faciũt. Qualis autem hæc inquisitio? qualis purgatio Sagarum est? Annos ante tres, vidi Lemgoviæ tres personas in aquam conijci, vinctis manibus atq; pedibus: ita ut dextra manus sinistro pedi: sinistra verò dextro pedi alligaretur.

Osnaburgenses biennio ante, centum quadraginta plus minus eodem modo examinarant in aquis.

Alij in alijs locis hunc morem ligandi non observant, sed vinctis tantum manibus eas in aquam projiciunt, ne obsignato cruce superstitiosè potius quàm rectè Sagas probare videàntur.

Hæc igitur inquisitio, hæc exploratio est, ut quæ isto, quem dixi, modo, ligatæ flumini innatant, & submergi nequeunt, eæ artis Magicæ suspectæ habeantur.

Cum verò spectaculo isti Lemgoviæ interessem, protinus cogitare cepi, qua ratione id fieri posset, quòd Sagæ aquis innatarent, nec ut alij homines submergerentur: utrúmne etiam causa aliqua naturalis,

hujus innatationis esset? Nihil enim in natura sine causa fieri, ex Platone Academico didiceram. At quid contingit? Cogitationes sive meditationes meas cum etiam alij rescisserent ex Epistola mea de Sagis conscripta, non defuerunt qui isti minus rectè intellectæ sese opponerent. Cum autem pleraq; ut deinceps patebit, minus dextrè interpretati sint: non possum non sententiam meam de innatatione Sagarũ in aquis plenius explicare: præsertim cum etiam proximo anno 85. in Comitatu hoc Waldeccensi aliquot Sagæ comprehensæ sint. Sed ad rem ipsam. Quid igitur dicemus? quã causam, quámve rationem esse asseremus propositæ purgationis? Experientia quidẽ manifesta est. Viderunt enim oculi plurimorũ hominum. At ratio quænam vel qualis causa est, quod Sagæ nullæ submergantur? Hæc enim duo cùm universalium, tum particularum rerum omnium κριτήρια & demonstrabilia principia esse jam antè monuimus. Quamvis enim ratione res tum universales tum speciales: quibus scilicet plura rerum genera non sunt: cognosci & demonstrari queant;

multa

multa tamẽ ſolius experiẽtiæ beneficio percipiuntur. Hæc igitur ſeorſim etiã aſſumenda fuit, ut quæ ad rationem commodè referri non poſſent, iſta ſi ſenſibus percepta eſſent, experientiæ adſcriberẽtur. Quarumcunq; igitur rerum principia & cauſas inquirere voluerimus, ad iſta duo κριτήρια, & quidem vel ad utrunq;, vel ad alterutrum confugiendum eſt. Quamobrem & Sagarum purgationis cauſas propoſituros, illis ipſis inniti oportet, ut appareat, qua ratione, & quàm conſtanter experientia poſſit iſta comprobari: Et nos meritò hac via inquiſitionis inſiſtemus. Quantum verò ad rationem attinet: primum argumentum explicationis noſtræ fuit ab origine & antiquitate iſtius purgationis: eò quod nonnullis novum hoc indicium videretur: quemadmodum & Evvichius hoc indicium recens repertum appellat. Atqui non nova aut omninò recens eſt, ſed renovata iterum in hiſce noſtris regionibus hæc conſuetudo eſt. Inter cætera autẽ de antiquitate dixi, Cujacium Juriſconſultum etiã illius mentionem facere, aſſerentem Chriſtianos homi-

nes illaipſa uſos fuiſſe ducto more à potione, quam ſtupri inſimulatus mulieribus Moyſes dari juſsiſſet. Hacce diſſerentem Cujacium adduxi, ut è teſtimonio illius pateret, etiam alibi locorum, quam in Weſtphalia purgationem Sagarum jam pridem uſitatam fuiſſe. Meminiſſe illius dixi Cujacium: & hoc dixi ad oſtendendū ſolummodo diuturnam conſuetudinem. Inconſideratè igitur Neuvvaldus in me invehitur, quaſi falsò illius verba citaſſem. Cujacius, inquit ille, his verbis, argumento neſcio an bono, non videtur hanc purgationem defendere, ſed potius Saxones Occidentales clàm taxare propter imprudentiā. At quid, mi Neuvvalde, ais? An propter cauſam ſibi minus viſam veriſimilem totam iſtam actionem improbat iſte Juriſconſultus? Unde hoc demonſtrabis? Utrúmne igitur omnis qui argumentum alicujus rei ab alijs prolatū infirmum eſſe oſtendit, is protinus rem ipſam negat ac omninò tollit? Contra multorum docentium conſuetudinē hoc dicitur. Multi aliorum erroneas de re aliqua opiniones refutant, nec tamen veriores ullas adduut,

aut rem

aut rē quoq; esse seu fieri inficiantur. Damhouderium quoq; & Alciatum Jureconsultos insignes eandem ob causam nominavi, utpote qui manifestè testantur hanc purgationem etiam apud alias gētes in usu fuisse.

Nihil illorum autoritati hîc detractum volui, nullam illis, ut Neuvvaldus me insimulat, idcircò injuriam feci. Manebit illis sua quā promeruêre autoritas, dignitas: ea tamen minimè efficiet, ut sequatur ilicò, si illi viri Sagarum purgationem improbarint, eam omninò floccipendendam, & nequaquam inposterum usurpandam esse. Multò minus ob novitatem repudianda, sed potius recipienda, si vera esse deprehendatur. Ubicunq; verò locorum, regionum, & à quibuscūq; approbata, descripta, usurpata fuerit: nos tamen rem ipsam & hujus causas potius, quam ejusmodi circumstantias locorum, temporum & personarum inquiremus. Et quidē investigare eas studebimus tum in ipsa Sagarum corpore, tum in aquis atq; fluminibus, tum denig; in abdita quadam seu occulta qualitate aliunde accepta.

Ad primum membrum quod pertinet, levia corpora tantummodò ſurſum ferri, gravia verò deorſum tendere meridiana luce ex Phyſicis clarius eſt. In levitate igitur cauſam quærendam eſſe putavi, quod Sagæ in aquarum ſuperficie præ alijs hominibus hærerent. At verò ut materia ita & forma Sagarũ (quatenus fœminæ ſunt) eadem eſt quæ aliarũ fœminarum. Quocirca non facilè aſſeverari poteſt Sagas reliquis eſſe leviores, ſi natura corporis earum reſpiciatur. Sagarum igitur in aquis innatatio abſolutè adſcribi ſimplici levitati vix poteſt. Qualẽ itaq; ejus cauſam aſſignabimus? Nullum enim aliud Phyſicum principium eſt motionis corporum in locis ſuperioribus, præter hoc ipſum quod poſui. Gravia ſiquidem nulla niſi motu violento contra naturam ad ſuperiora moventur. Quocunq; igitur nos vertamus, à levitate tamen diſcedere difficulter poſſumus. Sed quomodo hanc aliter niſi differentia quadam ejus cõſtituta retinebimus? Nempe levitas non inſita illa & naturalis à materia & forma corporis depẽdens, ſed externa quadam ſeu adven-

ventitia aut aliunde accedens erit. Quænam, quæso, ista? Dixeram in Epistola mea eam esse Satanicam. At quomodo, quo sensu? Satanicam scilicet appellavi à causa efficiente, quod Satanas justissimo & imperscrutabili Dei judicio sua levitate attrahat, tollat, retineatq; Sagas in alto aut superficie aquarum. Est enim natura ejus quàm levissima, quemadmodum in parte priore ostendimus, eum homines quoque per aërem ad loca remotissima ferre & impellere. Cum verò in aëre superiore homines retinere queat, ubi aliâs secundum suam naturam non vivunt, quid impediet, quó minus in aqua, velut elemento graviore crassioreq; Sagas elevet atque sustentet, illis subjacens, & eas quasi in dorso gestans. Vel etiam, si dicerem eas ob inhabitantem illum corporibus suis spiritum levissimum non submergi. Utrum hoc tam absurdè dictum? utrũ, quæso, grande peccatum foret? Annon sues Gargasarenarum irruẽs eos in mare omnes precipitabat? quod alioquin illi non intrassent. Totum illum in omnib. Sagarũ partibus inhabitare dixeram, ideoq; illius etiam

levitate eas in aquis retineri, nõ quæ hypostatica unione aut mixtione Physica illorũ naturæ, quantum ad interiorem constitutionem attinet, coadunata esset, ut alij verba Epistolæ meæ minus dextré intellexerũt, sed quæ illi saltem adjuncta esset à præsente Satana. Hoc enim voluit dictio mea, ubi asserui, Cacodæmonem substantialiter Sagis diffusum eas retinere. Substantialiter dixi, quantum ad ipsum spiritum, qui sua scilicet essentia eas inhabitat, non quãtum ad substantiam partium corporis Sagarum, quasi illarum essentiam intrinsecus constitutivé ingrederetur. Et hoc si iterum dico, quid, quæso, & in quam philosophiæ aut ipsius etiam Theologiæ partem delinquo? Etenim tu ipse Evvichi in parte scripti tui secunda, verbis meis antè prolatis contradicens, & tãdem hanc quæstionẽ subjungens: quomodo, inquis, fit, ut in aquis non submergãtur? Et subjicis: Hauddubiè Diabolo supponente illis manum & sua vi, puto, sustinente eas ne sidant. Et paucis quibusdam interjectis: Cum, inquis, Deus ad diaboli studia factaq; connivet, quàm facile ei sit mancipia illa

sua

ſua (puta Sagas) per aërem, per aquas, &c. ferre, & cavere, ne vel deorſum ruant, vel ne ſubmergantur, &c. Quid enim aliud ex hiſce verbis tuis intelligere debeo, quàm te idem mecum ſentire, videlicet quod volui Satanæ levitate Sagas in aquarum ſuperficiebus ferri atq; moveri, ne in profunditatem earum decidant: & tamen, ut antè indicavi, abſq; ulla unione mixtioné ve, ſicuti loquuntur Phyſica, qualitatum Satanæ & Sagarum. Aliter quicunq; Epiſtolæ meæ textum accipit, vitiosè ſententiam meam & omninò ſiniſtrè explicat, quomodocunq; etiam verba fuerint enunciata. Sed facilis illorum fuit intelligentia. Quocirca etiam atq; etiam vehementer demiror Neuvvaldum, qui ſententia mea nondum ſatis rectè perſpecta, in refutatione argumenti mei à levitate deſumpti, tam anxiè nihilominus & copiosè huic abſque omni neceſſitate contradicit? Primò, inquit, falſiſſimum eſt, earum formas eſſentiales per pactum immutari, & alias induci. Idem verò & ego in prima parte hujus libri copioſiſſimè demonſtravi. Verùm ut copioſius ille eſſet in expli-

tanda ſententia ſua deinceps addit: Sine dubio, inquiens, ſcit Phyſicus ille ad levitatem corporum non aſſumendam eſſe formam ſed materiam: forma enim rei perfectio eſt. Et paulò poſt: Quæ enim materiæ peculiaribus qualitatibus præditæ accepta ſunt ferenda, illa perperam formæ aſſignantur, quæ ad effectus illos producendos prorſus eſt ineffi-cax: quandoquidem per ſe nihil agit forma, ut Ariſtoteles, & cum eo Phyſici rectè docuerunt. Hæc ille. At inquam, ego ſcientiam Phyſicam mihi cum Socrate nullam attribuo, nullam ſumo. Et hoc ipſum inprimis, quod ille in me requirere videtur de efficientia ſcilicet formæ, me planè ignorare fateor. Fernelius quidem & alij eum imitati Phyſici qualitates quaſdam & virtutes rerum adſcribunt materiæ, quaſdam formæ, & nonnullas utrique ſimul principio. Sed commentum hoc eſſe ſemper duxi Ariſtotelis, non illius quidem principis quem in philoſophia ſequimur, ſed alterius forſan omnia documenta ſua ex alijs autoribus, abſque ulla pleniore meditatione deſcribentis. Ariſtoteles enim peripateticorum Home-

rum

rus principiis ſuis conſentiens rectè docuit formam eſſe rerum omnium principium effectivum: quippe per quam omnia exadificentur ac perficiantur: & ab hac oriri & produci cunctas rerum formatarum qualitates aſſerunt. Vnde etiam ab efficientia eodem ſenſu quo Ariſtoteli principium effectivum, exadificatio Melanchthoni, alijs perfectio hæc ipſa cognominatur. Quid quod tu ipſe eam appellas perfectionem & abſolutionem rei? Qua autem alia ſignificatione ita vocaſti, niſi quod abſolvat & perficiat rem unamquamq;. Etenim ſi abſolvit & perficit res cunctas: oportet certè efficientiam aliquam ei tribuere: niſi abſolvere & perficere quid etiam ad aliam Logicarum notionum claſſem, præterquam ad effecta ceu ſtupidi & inſulſi Logici referre velimus: utpote quæ forma motiones ſive motus, ideoq; etiam mera effecta ſunt. Porrò ſi efficientiæ quædam forma eſt, ut ex tuis ipſis, Neuvvalde, verbis modò demõſtravimus, cur, quæſo, tam impudenti & putida cõtradictione negas, formam per ſe nihil agere? Quandoquidem, ais, per ſe nihil agit forma

vel patitur. At quis puerorum est & in Physicis mediocriter eruditus, qui hæc absurdè & insulsè dicta esse, nedum publicus aliquis Universitatis Professor ignorare debeat? Quomodo Physicam Platonis, mi Neuvvalde, interpretaberis, ubi rectissimè docuit materiam esse, subjectum esse, matricem esse receptaculum omnium eorum, quæ in corpora fiunt, omnium scilicet dico potentiarum virtutum, quas in corpore quolibet materiato deprehendimus, formam verò esse perfectionem seu principium perfectivum, quod in isto, quod dixi, subjecto aut receptaculo omnes istas virtutes, operationes sive qualitates producat & efficiat? Quomodo, inquam, hæc alios docebis, nisi ipse prædictas materiæ & formæ affectiones probè distinguere scias? Si proinde qualitates formæ generaliter sunt adscribendæ, quidni & levitatem illi attribueremus? Nam & hæc qualitas est, & quidem à primis orta, quæ non possunt non formæ, ut & efficienti causæ tribui: quomodocunque hoc ab alijs negetur. Quod igitur corpus dicitur calidum, frigidum, humidum, siccum, id à

forma

forma habet, non à materia, cui ceu domicilio insunt: quod leve, rarũ, porosum, &c. dicitur, ab eadem habet: hæ siquidem qualitates ex combinatione illarũ efficiuntur: ut in Physico nostro libello copiosè ostẽdimus. Viden' igitur Neuvvalde, qualem te Physicũ ostenderis? qui in me scientiam desideraſti eorum, quæ Physica planè non sunt. Disce prius ipse, quæ alium docere voles. Quamobrem ut eò unde digressa est, redeat nostra oratio: causam innatationis Sagarum in aquis ratione inquirentes non possumus non ipsam levitatem assumere: levitatem tamẽ haud eam quæ à forma corporis immediatè provenit, sed adventitiam, externam, aliunde accedentem. Quatenus nimirum à Satana in aquis superius retineri debent. Appello verò omnes ubique terrarum viventes Theologos, ut judicent utrúmne hoc impiè dictum sit, si dicam: Sagas à Satana ceu lictore Dei omnipotentis singulari quadam levitate retineri, ne aquis submergantur. Quoniam verò lictor Dei & famulus est, potest id tantùm expedire, quantum Deus judex justissimus eum jubet, & cujus

potentiam illi tribuit, ut videat ipse Satan, nullam sibi esse potestatem condonandi seu remittendi peccata, vel potius eos diutius servandi quos velit, sed solum servitium sibi relinqui, quo Deo in puniendis sceleribus subministret. Non potest itaque (etiamsi maximè appetat) insontes submergere, quia Deo contrarium hoc esset judicium, ut insontes periclitarentur ob ea quæ non commisissent. Inquisitionem porrò hujus causæ sive rationis, Physiologiæ subjicio, quatenus Satanæ natura Physica est, & operationes ejus in Physico tractatu de Spiritibus describendæ sunt: & quatenus istam causam corpori Sagarum accedere diximus. In hisce verò dictis nihil me delinquere arbitror, nihil religioni sacrosanctæ adversum scribere, nihil denique Physicis principijs contrarium hoc loco proponere. Annón enim Deo Opt. Max. perplacet? Annón expressum ejus mandatum est, ut notentur & puniantur scelerati & impij homines? Annón utitur Satana ut ministro, qui illos discruciare debeat? An planè absurdum est quod disserui Satanam eas in aquis retinere, etiamsi

contra

contra omnem ejus voluntatem nullæ innocentes submergantur? Quod igitur Neuvvaldus addidit: Posse etiam, inquiens, innocentes in superficie aquarũ suspensas hærere, extra omnem est controversiã: hoc inquam planè absurdum est: quoniam operationes Satanæ se ulterius haud extendunt, quàm Deus ipsi permittit: præsertim verò quod vel unico exẽplo contestari nequeat nocentes etiam quasdam ab ista submersione immunes esse: ut deinceps si ad Experientiæ argumentum pervenerimus, abundè indicabimus. Multò minus tueri & defendere potest, quod subjiciens inquit. Hoc certè est quod Diabolus in hoc experimento quæsivit, nimirum ut ex periculoso dubio, præstigioso, & Christianæ religioni contrario tentamine pericula non solùm corporis innocentis, sed & animæ in alijs extra culpam positis imminerent. Longè siquidem credibilius est, quod antè disseruimus, de permissione & beneplacito Dei in Sagis per Cacodæmonem puniendis, & de ipsius cacodæmonis potentia, quæ semper catenis quibusdam ligata sit, ne ultra terminos à Deo præ-

finitos quidpiam facere queat. Quid porrò si illis omissis dicerem, Deum ipsum Sagarum, quas scilicet verè reas esse novit, corpora singulari quadam & specifica levitate induere, qua in superficie aquarum ferantur? Inde certè non sequeretur Deum ab operibus creationis non cessasse. Ita enim praedisponere potuit, ut si quæ Sagæ futuræ sint, speciali quodam modo in aquis nequaquam submergi debeant. Utrúmvero hoc omnipotentiæ divinæ contrarium esse dicetur? utrum etiam voluntati? quia non expressè de hac significatum sit in sacris literis? Minimè. Et ipse Neuvvaldus quasi antecedentium oblitus ea fieri autumat ob Dei permissionem, & diaboli potentiam, ubi addidit: Wierus verò, ut suprà ostendimus, verissimam hujus causam adserit esse DEI permissionem, & diaboli potentiam: ob finem non quem ipse annectit, quo scilicet Magistratus illicita ejusmodi media usurpans in superstitione & errore magis confirmetur (quomodo enim hunc finem comprobare poterit?) sed ut Magistratus sontes ab insontibus facilius distingueret, ut sontes puni-

punirentur, insontes liberarentur. Eadem certè ratione, eodem jure, eadem conscientia absq; ulla pietatis jactura hunc finem innatationis statuere possumus, qua ille suum. Quod verò Magistratus ista purgatione ad absolvendum vel condemnandum non acquieſcit, id fit quia causam illius minus perspectam minimé ve perceptibilem populo esse putat, atque si ob propriam confessionem quispiam condemnatur. Unde etiam quæstione civili & alijs, de quibus antè monuimus medijs non malè utitur. Ita enim universis vel imperitioribus scelus & simul pœnæ illarum ratio facilius innotescit. De certitudine tamen hujus experimenti suo loco plenius. Sed vidēdum deinceps utrúmne in ipsis fluminibus aut aquis ratio aliqua inveniri possit. Et quidni? Natura enim non prohibet. Quid igitur dicemus? Quam causam annotabimus quòd Sagæ aquis non submergātur? Utrúmne singularem quandam seu specialem corporis aquarum & Sagarum antipathian? Maximè quidem. Aqua scilicet Sagas in se ferre non potest. Quomodo verò, & quam ob causam? Nem-

pe Deus Opt. Max. ſuo prudentiſsimo & juſtiſsimo judicio ab omnibus inde ſeculis elementum aquæ prædeſtinavit ſalutari regenerationis hominum lavacro, ut qui à peccatis abluendi eſſent, & Chriſti Eccleſiæ initiandi hujus baptiſmate uterentur, & per hoc medium novi homines facti quaſi per januam in regnum Chriſti ingrederentur, qui prius rejecti fueramus. Quandoquidem, inquam, Vatiniano quodam odio eas averſatur & rejicit, ut ſi maximè pro viribus tentent, non tamen ſubmergi poſſint. Et quodnam eſt illud odium? Aquæ Deo placuerunt, quibus uſurpatis peccata hominum ablueret atq; purgaret. In baptiſmate Chriſto Dei Filio nomina noſtra primùm damus, & ejus albo incorporamur, adeoq; in civitatem Dei ut germani cives recipimur: ideoq; omnes qui ſalvi modò fieri volunt, ſacro huic baptiſmati immergi & purgari oportet. At Sagæ ſpreto iſto divino lavacro, toti trinitati, Deo Patri, Filio, & Spiritui ſancto ſcientes volentes renunciant: & nihili Dei creatoris opera, nihil ordinationes & creaturas facientes, peccato-

res &

res & apostatæ omnium aliorum fiunt pessimi. Cum autem hoc scelere in toto mundo nullum scelestius, nullum deterius, nullum abominabilius unquam definiri aut reperiri possit: quid dubitem dicere, si Sagæ non submergantur aquis, id fieri ob peculiarem istam antipathian: videlicet quod elementum aquæ nolit illas intra alveũ suum recipere, sed omnino respuat, & omnibus modis fugiat, hunc scilicet in finem, ut peccatrices ejusmodi manifestentur. Nam & creaturæ inanimatæ inserviunt prædicationi & gloriæ nominis divini. Ut scilicet cœli, ita quoque elementa enarrant gloriam Dei, tum aliàs, tum in hoc, si peccatum & injustitia ab illis revelata puniatur. Aqua in baptismate est sacramentum, est signum, est sigillum initi inter Deum & hominem baptisatum novi fœderis. Quidni igitur eadẽ alio modo signum aut indicium esse possit dissoluti illius & fracti iterum fœderis? Et hanc rationem sive causam facilimè dixerim esse verissimam, ut si aliæ nullæ admittendæ videantur, una tamen hæc recipienda sit. At verò, inquiet aliquis, hanc meam esse opi-

nionem fictitiam, non idcirco protinus ab aliis catholicè recipiendam. Fateor igitur hæc verba mea non esse edicta prætoria. Testor verò hic meam ipsius conscientiam, me non ostentationis ingenij non philosophandi, nõ alterius rei causa, sed veritatis solummodo inquirendæ & confirmandæ gratia hæc omnia disseruisse. Adeste enim iterum Theologi omnes, & judicate, si quid impiè de hac ratione dictum sit, aut contra ecclesiam Dei catholicam delictum. Spectatur siquidem in his Dei creatoris in ipsis creaturis omnipotentia. Spectatur bonorum, & qui minimè rei sunt istorum scelerum conservatio. Spectatur insuper pœna & eradicatio malorũ. Et hosce fines si magistratus, qui hac inquisitionis forma utìtur, consideret, quid est cur eum superstitiosè contra conscientiam agere dicamus? Adeste Jurisconsulti & judicate, num legibus vestris minus consonum quidpiam à me traditum sit, cum alia interim, quæ vos proposuistis media, simul usurpanda statuerim. Adeste etiam Philosophi, Medici, Physici, & quicunq; velitis, judicateq; num quid contra

commu-

communem physicam præscriptum. Atqui vos soli forsan objicietis antipathiã, quam proposui, aquarum scilicet & Sagarum à nemine adhuc in physicis generalibus ante hæc tempora descriptam esse, neq; ad ullas manifestas qualitates referri posse. Quid verò tum postea? Describatur deinceps & referatur ad occultas qualitates, quas abditas rerum causas Fernelius vocavit, soli Deo optimè perspectas. Si comprehendere istam nõ potestis, cogitate similiter multarũ aliarum rerum antipathiam, quæ sola experientia à mortalibus cognita & observata fuit, & nullis scientificis rationibus demonstrata. Multa videmus oculis, & manibus nostris palpamus: quorum manifestam causam reddere aut etiam nominare non possumus. Et nihilominus tamen illa verissimè ita, uti videmus & tangimus, sese habere credimus. Quis enim omnium rationem sensibilem reddet? aut quis etiam requiret? Abscõdita hæc sunt Dei mysteria, oculis tantum nostris ostensa. Oculorum autem visioni vel potius manifestæ experientiæ contradicere velle, stolidissimum & sa-

pè pernitioſiſſimum eſt. Quinimo qui συμπαθείαν & ἀντιπαθείαν ejuſmodi rerum ignorat, aut inficiatur: is ipſa principia phyſica, & fundamenta negat. Contra negantem verò principia alicujus quomodo diſputare poterimus? Sed hæc notiora ſunt ex phyſicis præceptis, quàm ut de his diſſerere oporteat. Veruntamẽ ut & alij rectius hanc rem percipiant, paucis ſaltem exemplis quibuſdam eam illuſtrabimus. Et quidem ut à minutiſſimis initium ſumatur, quis, quæſo, phyſicorum rationem ſufficiẽtem reddet, quod Magnes ſua natura ſe perpetuò vertat verſus polum mundi ſeptentrionalem, eumq; quaſi reſpiciat? quemadmodum neq; cauſa quidem reddi poteſt, quod ferrũ ad ſeſe præ cæteris rebus maximè attrahat. Senſibilis & manifeſta hæc eſt ejus potentia: omnesq; philoſophi hæc ejus effecta vident. At cauſa quamobrem & quomodo poſſit, illos latet. Nec tamen quiſquam illius apparentiam ad diaboli obfaſcinationẽ retulit, neq; credere illam impium eſſe dixit: ſed potius, & quidẽ non malè, ad occultas qualitates, ſive ſpeciales proprietates naturarum hæc Magnetis

gnetis virtus ſive operatio refertur. Qua igitur audacia, qua temeritate, aut quo argumento Sagarum innatationem in aquis oculis noſtris perceptibilem, ad diaboli ludibrium quamprimùm referemus? Quamobrem naturalem eam eſſe negabitur? Facere hoc eſt planè ἀφύσικον. Similiter experientia docet. Verumenimverò ad res procedo animatas. In hominum corporibus hoc contingere apparet, ut ſi interfecto aliquo vel ſtrangulato reus homicidij ad cadaver illius adducatur, videlicet ut vel tangat, vel proximè ei adſtet, ſanguis ex illo cadavere effluat, indicium rei verè cognoſcendi. Hoc, inquam, fieri manifeſtiſſimum, & multis in locis notiſſimum eſt: ut apertiſſimum mendacium ſit, id negare velle. Ecquis autem firmam & ſolidam hujus demonſtrationem, ex primis & immediatis cauſis exponet? Scio equidem eſſe nonnullos qui ſtuduerunt cauſam efficientem iſtius effluvij inquirere. Valleriola Medicus ſolertiſſimus in obſer. ſuis de amore diſſerens inter cætera Lucretij verſus hoſce recitat:

Lib. 2. obſerv. 7. Lib. 4. de nat. rer.

Idq; petit corpus mẽs, unde eſt ſaucia amore.

Namq; omnes plerunq; cadunt in vulnus, & illam
Emicat in partem ſanguis, unde icimur ictu.
Et ſi comminus eſt, hoſtem ruber occupat humor.

Et ſubjicit: Hoc, inquiens, carmine, Lucretius non aliter vult ſanguinem hominis oculorum radio affecti & vulnerati, in vulnerantem prolabi, quàm hominis gladio cæſi ſanguis prolabitur in cædentem: quod & experientia ſæpè docet, & idipſum quoq; me vidiſſe, teſtari plena fide poſſum. Nam cum Jacobus ab Aquaria, Patritius Arelatenſis, vulnere mortuus eſſet, & qui vulnerârat à Magiſtratu comprehenſus, in conſpectum cadaveris delatus fuiſſet, ut occiſum recognoſceret, & ſcelus fateretur: mox ebulliens ſanguis multo cum fervore & bullis prodire é vulnere & é naribus cæpit, ſpectantibus cunctis. Recitata porrò hac hiſtoria, deſcripti miraculi hanc rationem adferri poſſe addit, quòd cum nondum calor omnis in recens occiſo corpore extinctus ſit, nec agitatio omnis visq; interior nobis occulta quieverit: ultionem quidem tacita illa vis clamat, moxq; ad vindictam bilis accendi-

cenditur: ab ea ſanguis inflammatur, & ad vulnus confeſtim prorumpit, patefacto ad exitum per vulnus meatu: eodem concurrunt & ſpiritus, qui quoniam leves ſunt, ad occidentem hominem, ſi coram ſteterit, volantes in eum migrant, ſervanturq; nativo calore aliquādiu, nempe ad horas plus minus ſex aut ſeptem. Opinatur ſcilicet Valleriola effluxum, de quo diximus, fieri à cōmotione ſanguinis unà cum ſpiritibus in eo contentis. Veruntamen ſubjicit: Sed magis, ut rectè arbitrandum eſt, Dei judicio arcano, maleficum hominem tali ſigno notaq; peculiari ac propria deſignare ac prodere volentis id fieri cenſendum eſt. Et hoc eſt quod ſuperius contendebam, rei propoſitæ firmam demonſtrationem dari haud poſſe. In eadem planè ſententia eſt Marſilius Ficinus in comment. ſuper Plat. Et hanc illuſtrat exemplo Hectoris & Patrocli. Vulnerat, inquiens, Hector Patroclum, ac perimit. Patroclus Hectorem inſpicit vulnerātem. Unde ejus cogitatio judicat ulciſcendum: confeſtim ad vindictam bilis accenditur, ab ea ſanguis inflammatur, & ad

In Dialo. de conv. orat. 7. cap. 5.

vulnus è vestigio properat, eodem & spiritus confluunt, & quia leves sunt, ad Hectorem usq; volantes in eum migrant, ejus calore servantur ad tempus aliquod, eo ipso in tempore si Hector cadaveris vulnus cominus intentus inspiciat, vulnus cruorem versus illum ejicit &c. Hæc Marsilij sententia est. Marcus porrò Galeottus (referente Neuvvaldo ubi de hac quæstione agit) haud dissimiliter causam videtur afferre ab insultu spirituum pendentem, ijsdē ab uno in alterum irruentibus: occidentis irati spiritus in occisi sanguinem irruere, & cum eo misceri, & præsente occisore spiritus in occisi sanguine moveantur, ac proprium corpus repetendo profluvium ejusdem excitent. Quamobrem hoc experimentum ille non ultra 24 horas differendū esse censet: Quæ Galeotti sententia priorū haud dissimilis est. Sed addit Neuvvaldus mutuum illum in iratis spirituū discursum & subitam transmigrationem omnes mediocriter physicis initijs imbutos intelligere, quod nulli spiritus, quicunq; tandem sint, è corpore foras exiliant, ne dicat ut extra

Galeot. lib. de doct. promiscua.

missi

missi in aliud contrarium immigrent. Hoc autem additamentum est, Physico certè publicæ Universitatis Doctore indignissimũ. Quod enim mutuum (ut vocat) spirituum discursum & in aliud corpus immigrationem negat, hoc ipso scilicet se unquam physicen, & qui hanc descripserunt autores politos legisse & cognovisse negat. Quippe discursum istum non tam præstantissimorum hominum autoritas, quàm ipsa etiã experientia fieri contestatur. Præter eos enim quos antè commemoravi, utpote Lucretiũ, Valleriolã, Ficinum, Galeottũ, ante hos Plato Philosophorũ coryphæus in Symposio suo ut copiosissimè, ita eruditissimè philosophatur p spirituum ejusmodi insultũ aut discursum homines amore fascinari docẽs sanguinem & spiritus hominis oculorũ radijs vulnerati in vulnerantẽ citissimè prolabi. Præterea Theocritus Poëta de osculo amantium inquit:

Τοσσῦτον με φίλαεον, ὅσον ζώει τὸ φύλαμα,
Ἄχρις ἀπὸ ψυχῆς ἐς ἐμὸν στόμα, κἀ εἰς ἐμὸν ἦπαρ,
Πνεῦμα τεὸν ῥώσει, τὸ ὄ σευ γλυκὺ φίλεον ἀμέξω.

Quos versus Melanchthon repetens ac Latinè vertens, inquit:

Tantisper da suaviolum, dum basia vivunt.

Ex animaq; tua dum ſpiritus in mea labra
Influit, inq; jecur, mulgenti dulcia philtra.

Spiritus, ait, uterq; in alterius labra & alias partes influere. Idem Melanchthon ait, ſpiritus maximè vitales in homine naſci in corde, & verè eſſe flammas quæ in omnium affectuum incendijs, in lætitia, dolore, amore, ira, &c. ſparguntur. Cardanus denique illud Melanchthonis ſpeciali exemplo comprobans, docet: vitales ſpiritus venenatos unà cum ſaliva à canibus rabioſis in vulnus inſeri, & hinc adeò ſubitò tantam veneni vim emitti, ut totum corpus veneno coinquinetur. Taceo cum Melanchthone, quòd tertia perſona ſacroſanctæ individuæq; trinitatis appellatur Spiritus ſanctus, quòd ſit agitator & quaſi flamma à Patre & huius Filio, ac utriuſq; voluntate procedens: ſicut effundit mater vitales ſpiritus, oſculans infantem filiam aut filium.

Lib. 1. de ven. c. 1.

Viden' igitur Neuvvalde (ad te enim orationem meam converto) quàm longè excellentiſſimos Phyſicos octo, Valleriolã, Galenum, Lucretium, Ficinum, Theocritũ, Platonem, Melanchthonem, Cardanum, pra-

ter

ter multos alios, ignorantiæ accuſes, dum ais vel mediocriter Phyſicis principijs imbutos intelligere ſpirituum in corporibus humanis tranſmigrationem nullam fieri, quam tamen omnes illi unanimiter fieri docuerunt. O Phyſicum neſcio qualem, & qua laude dignum! O nimis quàm audacem ſcioli cenſuram! Quidcunq; de cauſa profluvij ſanguinis defunctorum præſente reo cenſendum ſit, & ut maximè iſtius ratio non ſit ſpirituum effuſio aut tranſmigratio, hæc tamen in alijs abſolutè & generaliter negari nunquam poteſt.

Ut verò ad rem ipſam propius accedamus, plauſibiles quidem iſtæ videntur mihi Phyſicorum rationes: at non uſquequaque κατὰ πανὸς *& univerſaliter demonſtrabiles. Quapropter cum Valleriola dicere malim: hunc effluxum ſanguinis è corporibus defunctorum fieri ſpeciali quodam & arcano Dei iudicio, aut occulta quadam poteſtate. Quidni enim licitum eſſet ad univerſalem & ſupremam ejuſmodi cauſam confugere, ubi aliæ deficiunt: in effectis ſcilicet manifeſtè cõtingentibus. Experientia mul-*

torum judicum huic rei fidem facit plenissimam. Attamen ob rei admirationē, unum solummodò exemplū adhuc referam. Ufleniæ, *in comitatu Lippiensi, accidit, ut cum fœmina quædam infantem suum interfecisset, & clandestino in flumen vicinum injecisset, is post tres septimanas à duabus ancillis iterum repertus, ex mandato & decreto Magistratus in matris carceribus mancipatæ gremium poneretur, ad explorandum si sanguis è corpore illius exudare vellet. Quo facto infans mortuus oculum sinistrum protinus aperuit, matremq; lachrymabundus aspexit. Ex eodem deinceps oculo iterum clauso sanguis emanavit. Exemplū certè hoc judicij divini & signum stupendum est: à plurimis gravissimis viris visum. De historia, incolæ istius loci neutiquam dubitant. Quis verò causam hujus visionis catholicam reddet? quod scilicet oculus mortui infantis apertus sit, quod sanguinem ex illo exudarit: quod denique lachrymas effuderit? Aut phantasticamne illam esse putabimus & qua dæmon nonnihil illudere voluerit? Minimè. Abscondita*

hæc sunt

hæc ſunt & arcana Dei myſteria: occultaq́ hominibus eorum cauſa eſt. Quid igitur tibi, Neuvvalde, in mentem venerit, vehementer etiam atq́ etiam miror, quod experimentum hoc dixeris eſſe ſuperſtitioſum. Exempla, inquis, ex ſacris deſumpta, huic ſuffragium nullum ferre poſſunt. Quid tũ verò poſtea? Utrúmne idcirco non factum eſſe aſſeremus? Utrum protinus ſuperſtitioſum cenſebitur, ſi nullum ſingulare illius exemplum in ſacris annotatum ſit? Si hæc firma ſit ratio, multa certè à Chriſtianis opera omittenda eſſent. Et paucis pòſt: Reliquum eſt, ais, ut ſuperſtitioſum & diabolicum quid ſapiat, cuius ſuſpicionem mihi auget, quod in locis quibuſdam membrum reſecent, arefaciant, & fumo indurent, quod in præſentia occiſoris ſanguinem adhuc effundere ſanctè affirmant. At qualis hæc eſt, mi Neuvvalde, tua cõſequentia? Ex membro arefacto & infumato ſanguis effluere non poteſt: Ergo nec ex recens defuncto corpore effundetur. Et per conſequens, ſuperſtitioſum & diabolicum illud erit, quod dicitur de effluxu ſanguinis.

An idcirco superstitiosum habendum, quia tu suspicaris ex amputata manu & in fumo suspensa sanguinem fluere non posse? Statuatur hoc falsum, de quo tamen deinceps videbimus. Idcirco tamen illud non protinus superstitiosum erit. Utrum *ex tua suspicione falsitas ejus dependet? Nequaquam. Quemadmodum tu ipse adhuc de ejus firmitate quodammodo dubitare videris, ubi addis: Verùm de hoc doctioribus alijs esto judicium. Quicquid autem disseratur de manu amputata: judicium tamen hoc præter gravissimum Theologum Phil. Melanchthonem, & clarissimum Jurisconsultum Menochium, aliosq; plures, multi eruditissimi viri experientia edocti improbare non potuerunt. Quamvis enim neq; intellectu nostro sufficienter, neque sensibus percipi queat, quomodo ex arefacta manu sanguis effluat: verissimè tamen contingit. Experientiæ autem manifestæ contradicere velle nefas est & grande piaculum. Vide, quæso, Neuvvalde, ne dum nimium religiosus haberi velis: hîc sis irreligiosus. Quid enim respondebis ad illud experimẽti*

genus

genus veterum, etiam piorum hominum: cujus mentio fit in Propheta Jona, ubi orta tempestate maris, qui cum Jona in navi vehebantur, per sortem explorare studebant pietatem vel impietatem hominum: ut hac ratione resciscerent eum, qui causa præsentis tempestatis esset. Et cum Jonam sors tangeret, ipse sponte sua se reum esse confessus est: qui si sortilegium illud planè impium & diabolicum esse putasset, facilè negare potuisset se reum eorum quorum arguebatur, non esse. Ubi enim Deus hunc inquirendæ veritatis modum præceperat? Nusquam, quod sciam, in sacris literis traditus erat. Attamen Deo permittente Jonas hoc modo purgatus fuit. Imò verissimè affirmare ausim, si divinus ille Propheta diabolicum hoc esse sortilegium statuisset, hauddubiè eum ad exædificationem Ecclesiæ illud reprehensurum fuisse. Quid insuper videbitur illis de cap. 1. Act. ubi sorte etiam Matthias in locum Judæ Apostoli eligitur atq; decernitur? Ignoro equidem ubi Deus æternus in novo Testamento hanc Apostolis eligendi rationem præceperit. Attamen non dubium

quin ſortes ejuſmodi à Deo regantur, ut P. Martyr loco 7. de Sortibus copiosè diſſerit, ubi oſtẽdit, variam fuiſſe apud veteres ſortium rationem, variaq; etiam genera: quæ tamen omnia poſſunt ad tria capita revocari. Aut enim dubitamus cui aliquid adjudicandum ſit, ut in diviſione agrorum & honorum. Et ſortes hæ appellantur diviſoriæ. Aut quid ſit potiſſimùm agendum, quæ ſunt conſultatoriæ. Aut quid ſit futurum, quæ ſunt divinatoriæ. Permagni verò refert intelligere, à quo principio ſortes pendeant. Dicere eas à fortuna temperari, vanum eſt: à dæmonibus, ſuperſtitioſum eſt: à cælo, aut ab aſtris, ridiculum. Reguntur ergo à Deo. Nam ut ait Salomon: Sortes conjiciuntur in ſinum, à Domino temperantur. Auguſtinus etiam in Pſal. 30. ait: Sortes nihil aliud eſſe, quàm in dubitatione humana judicium divinæ voluntatis. Hinc digrediens, ait, prædeſtinationem & gratiam poſſe dici per ſortem, quòd pendeant non à meritis noſtris, ſed à miſericordia Dei. Apud Deum quidem prædeſtinatio æterna & certa eſt: nobis autem videtur ſortitò contingẽ-

tingere &c. Videmus itaq; quãvis sortium rationis causa aliquà certa dari non possit : sanctis tamen eam hominibus utpote Prophetis & Apostolis olim usitatissimam fuisse, quando rem quampiam humanæ alioquin prudentiæ incognitam deprehendere vellent. Crediderunt enim sortes nutu Dei Opt. Max. regi & administrari. Similiter etiam purgatio Sagarum in aquis frigidis, si maximè irrefutabilibus demõstrationibus Aristoteleorum fulcita non sit, haud dubiè à Deo eiusq; providentia gubernatur, ad gloriam scilicet illius & ad exædificationem Ecclesiæ. Et quid multis? Plurima sanè sunt alia, quorum eventum ad causas non sensibus nostris perceptibiles sed potius occultas referre cogimur : quæ, inquam, si causa ãmaximè eorum incognita nobis sit ; non tamen idcircò superstitiosa protinus aut diabolica habentur. Quamobrem ut κριτήριον *primum purgationis Sagarum, quod hucusq; proposuimus concludatur : asserimus rationem ejus esse posse in occulta quadam causa tum levitatis in corpore Sagarum, tum ipsorum fluminum, quorum videlicet elementum*

corpora illarum omninò respuit & aversatur: vel etiam in singulari quadam voluntate Dei sæpè per ministrum Satanam eas punientis. Alterum porrò demonstrandæ istius purgationis principium accedit deinceps Experiētia: quæ & ipsa nimirum, propositum nostrum arctissimè defendit. Hæc omnium philosophorū adeoq; sanorum hominum communi suffragio, secundum est κριτήριον rerum cunctarum rectè cognoscendarum demonstrandarumq; satis firmum. Quod enim oculi mortalium videt, manus palpant, aures audiunt, illud esse & fieri meritò credimus: etiamsi certam contingentiæ aut etiam effecti illius causam reddere nequeamus. Hæc est, quæ res plurimas rationi aliâs absconditas manifestavit, & in apritum protulit. Hæc est secundum quam & ex qua artes universæ primum descriptæ sunt. Ex usu enim specialium exemplorum, experiētia ceu mater artes peperit. Quapropter hæc eadem quoq; in judicio inquirendarum Sagarum diligenter considerāda est, ne nos uspiam fallat. Plurimis autem exemplis testata est, Sagas aquis non submergi: ita certò, ut

tò, ut compertum observatumq; sit, omnes quæ aquis hoc modo innatassent & submergi non potuissent, vel suo ipsarũ testimonio deinceps prolato reas fuisse. Et exẽpla alia, quibus contrarium demonstretur, proferri nequeunt. Neq; Wierus, neq; Bodinus, neq; alij qui huic purgationi contradicere cogitant, vel unum saltẽ adversum exemplum annotarunt. Experientiæ autem crebræ argumẽto, si ratio desit, nihil nisi contrariam experiẽtiam opponere possumus. Cur igitur duci tam constanti & Magistræ certissimæ in proposita re fidem nõ haberemus? Cur irritam hanc & vanam esse crederemus, quæ tamen nusquam fefellit? Bodinus ait: In Belgico & multis Germaniæ partibus damnatæ mulieres immerguntur aquæ. Verùm Sagas colligatis artubus in aquã projectas compertum est non posse mergi &c. quamvis non usq; quaq; hanc immersionem probet: de quo tamen deinceps. Proximis hisce annis præter alios multos, inprimis tum Osnaburgenses, tum Lemgovienses, quos omnes honoris causa nomino, viderunt & magno exemplorum numero experti sunt, nimi-

Bod. lib. 4. cap. 5.

nimium proh dolor, hoc quod diximus verum esse. Hi enim utpote civitatum suarum præfecti prudentissimi defendendæ justitiæ & puniendæ iniquitatis impietatisq; gratia hoc purgandarum Sagarum principiũ non sine magno consilio assumpserunt, in honorem Dei & bonorum hominum conservationem. Et ponatur omninò, semel fortassis unum aliquem vel alterum Magicæ suspectum non submersum esse: vel potius qui submersus sit, peccata sua non fassum esse. Quid verò tum postea? Utrúmne idcirco speciale hoc aut unicum exemplum diuturnæ & communi experientiæ verè contradicet, & prohibebit, quó minus credamus Sagas aquis innatantes haud submergi posse? Homines universos docentibus oculis nostris cognovimus atq; firmiter statuimus esse animantes bipedes. Quid si autem contingat nasci quempiam sex distinctis pedibus gravatum: qualem in generali inferioris Hassiæ hospitali aliquando vidi: an idcircó protinus qui hunc visurus sit alius negabit, homines in genere esse animantes bipedes? Certè cõtra omnium oculorum fidem

hoc

hoc fecerit. Solis in firmamento cœlesti hæc natura est, ut perpetuò circulariter in orbē absq; ulla cessatione moveatur: Attamen hic Iosuæ regis tempore integrum diem immotus stetit. Quid verò igitur? An idcircò qui eū quiescentem tum temporis conspexerunt, rectè pronunciaturi fuissent, Stellas non perpetuò moveri? Minimè. Una hirundo non facit ver: ut tritum multorum ore proverbium sonat. Dei Jehovæ digito Sol isto tempore singulariter retentus fuit, ne progrederetur, & quidem contra universalem à condito inde mundo observatam experientiam. Similiter si fortassis una aliqua Saga in aquis subsedisset, id potius imperscrutabili omnipotētis Dei decreto judicioq; fieri dicemus, quam generalē experientiam plurimis exemplis confirmatam negabimus. Quid si Deus singularem ob causam, talem personam diutius in vivis superstitem manere velit, vel cor ejus induret post innatationem, linguamq; arefaciat, ne id facilè, cujus rei sit, fateri debeat? Hoc certè rectius ac tutius cogitare, veriusq; dicere possumus, quàm experientiæ universali contradicere.

Equidem sanè haud facilè passus fuero hoc argumentum τῆς ἐμπειρίας mihi infringi atq; everti, nisi contrarijs exemplis, qualia tamen nondum ad hæc usq; tempora cognoscere mihi licuit. Censeo igitur, tum ob quotidianam experientiam, tum ob antè commemoratas probabiles rationes, Sagas aquis innatantes non submergi. Et hæc inquirendæ tantum veritatis gratia, quantum potuimus, hucusq; scrutati sumus: quæ scilicet causæ fortassis esse possint, quó minus Sagæ deorsum ferantur in profunditatem aquarũ. Videbimus deinceps quibus rationibus, quibúsve de causis alij hãc purgationem Sagarum tolerare non possint. Ewichius in tractatu suo secundo, examen hoc, superstitiosum inventum, à Satana & credulis ejus auditoribus invectum appellat. Item ludibrium Satanæ, Tragædiæ periculosæ, & scandalosæ initium. Ratio additur: quia si certum hoc sit ratumq; habendũ Sagarum indicium: ea quæ subsidunt, protinus absolvendæ: reliquæ verò quæ supernatant, mox reæ judicandæ sint, absq; alijs indicijs aut inquisitionum modis. At hoc non fieri. Ergo nec

go nec illud esse: scilicet certum indicium aut signum habendum. Sed diligenter hanc argumentationem examinātibus liquidò apparet, nihil tam absurdè atq; hanc ipsam proponi posse. Quæstio enim Evvichij est: Purgationis Sagarum per aquam frigidam, inventorem esse Satanam. Argumentum quæstionis est: quia incerta sit. At qualis hæc est consequentia? Incerta est purgatio: Ergò à Satana cepit. Quasi verò, si à natura cepisse diceretur, etiam incerta esse non posset. Quomodo enim quæso demonstrabitur, omne quod incertum sit, inventore tantum Satana originem traxisse? Nemo opinor sanæ mentis hoc rectè sequi dixerit. Imò si accuratè attendatur, aliud est quod in quæstione disseritur, aliud itidem quod argumenti loco proponitur. Longè scilicet aliud est; de inventione aut inventore alicujus rei: aliud etiã de ejus certitudine disserere. Manifestissimè itaq; elucet: Evvichium ne minimo quidem verbo quod voluit, comprobasse. Argumentum enim propositæ ab ipso quæstionis quod esse debebat, aliam & planè dissentientem in se quæstionem continet.

FINIS.